C BENNET
Thatrum
Tab[illegible]orum

13266/19 F. XV. b

3 in thrds

4/6

a 1100

1) BENNET, C

2) THOMSON, A.

3) MORLEY, C. L.

Thomson complete
with two final blanks

65·A·73 29957

1 Tabdorum Thebanum Burett

2. Alex. Thomson –
Dissertationes medicae 1705

2 Christopher Love Morley
De morbis epidemicis Observationes
Lond. 1686

paper
coll.

NArrationem hanc de Morbo Epidemico dignam judicamus quæ Imprimatur,

Johan. Micklethwaite, Præſes.
Daniel Whiſtler, Cenſor.
Samuel Collins, Cenſor.
Thomas Allen, Cenſor.
Guliel. Croune, Cenſor.

Jun. 15, 1680.

DE MORBO EPIDEMICO OBSERVATIONES.

Auctore *Ch. Love Morley*, M. D.

Editio Secunda.

CUI ACCESSIT
Clariſſim. & Sapientiſſ. Viri, D. Lucæ Schacht, Medicinæ Profeſſoris in Academia Lugduno-Batava, fæliciſſimi ſœculi noſtri Practici, de eodem Morbo ad Auctorem Epiſtolica Narratio ſanè quàm doctiſſima.

Cum Appendice de proprii morbi narratione.

LONDINI:
Impenſis *Johannis Gay*, Bibliopolæ. 1686.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DE MORBO Epidemico NARRATIO.

SECT I.

DE Morbo Epidemico, qui, ſuperiore anno, tam his, quam aliis in regionibus, imò cunctâ ferme dominatus eſt Europâ, perlectis, quos habeo, commentariis, ac inde refrictâ illorum temporum memoriâ

moriâ, quæ vidi, quæ audivi, quorum teſtis fui, quæque expertus ſum, ac unà mecum complures alii (in quibus quidem Clariſſimi fuêre Medicinæ Profeſſores Leydenſes, ê quorum ore, conſortio, verbis, obſervationibus, hæc magnam partem me hauſiſſe non diffiteor) ea hujuſmodi fere ſunt.

I.

De Nomine.

Ac primò quidem, ut rem paulò altiùs repetam, quoad nomen hujuſce morbi, certè haud alio unquàm compellatum nomine audivi â præſtantiſſimis illis viris, quàm *Morbi Epidemici*, aut, ſi mavultis, *Febris Epidemicæ.* Sic enim loquebantur inter ſe, ſic illum nobis deſignabant; cùm intereà nec novum, nec veterem, hunc morbum appellarent, uti fit in Anglia (*The New Diſeaſe*) nec nova illi nomina adaptarent, nec Febrem indigitarent intermittentem, nec continuam, nec utrámque conjunctam, quibus omnibus nominibus, in hac Inſula, tam à litteratis hominibus, quàm ab aliis, eundem compellari ſcimus. An, quòd Febres, & Morbi Epidemici, apud nos rariores,

The New *Diſeaſe.* *New Ague.* *New Feaver.* *New Ague Feaver.* *New Delight: as in* Darbyſhire.

rariores, cum ſint, quàm alibi terrarum, hinc novis nominibus, ceu nova monſtra donantur? Vix equidem credo. Nam et Epidemicos hîc morbos paſſim generari annales libri teſtantur, & eorum Britanniam, quàm Bataviam, haud minus eſſe feracem, vel unus qui legatur, auctoritatem faciet Sydenhamius. Nec idcirco nos novarum rerum, & nominum, amatores dicemur: verùm caſu id potius factum fuiſſe, quàm ſtudio, cenſeri velim. Eò quòd, ſub primum hujus morbi exortum, cùm illi, id eſt Belgæ, veteribus uterentur medicamentis, & vulgaribus, nèc nova conquirerent medicinæ faciendæ ſubſidia, iiſque facilè, & tutò, hunc morbum expugnari animadverterent, hinc nullâ ſuſpicione erga novum morbum adducti ſunt: cùm noſtratum nonnulli è diverſo, quàm illi, majore metu perculſi, dum novam adhiberent medicandi methodum, ac propterea minùs forſitan felicem, novum pronunciaverunt morbum, antequam veterem experirentur. Etenim ex iis omnibus quæ tam hîc, quàm in Belgio, & vidi, & audivi, idque tam præſenti, quàm ſupe-

Multitudo ægrotantium.

riore anno, certè in eam mentem facilè inducor, ut credam, non modò non plures, verùm duplò forſan pauciores, in hac regione, quàm illâ, ægrotaſſe homines: & tamen id auſim dicere, non modò minorem illic hunc morbum, verùm & duplò hîc fortaſſe majorem ſui concitaſſe admirationem. Quid ita? Certè cauſam divinabunt alii: neque enim aliam ego, præter dictam, invenio: neque alia hîc ſymptomata, quàm illic, hunc morbum habuiſſe, neque eadem graviora hîc, quam inibi, extitiſſe, judicare poſſum.

I I I.

Ætas morbi.

Cæterùm, quod ad ortum hujus morbi attinet, erunt, ut exiſtimo, qui ad diverſa tempora, imò qui & ad diverſos illum annos, referant. Ac interea duo, vel tria, mihi pro certo comperta ſunt. Primùm, quocunque ille anno exortus ſit, incrementum tamen, ac vires, & ſui notitiam, ac ſtudium, vix obtinuiſſe ante exeuntem vernam, vel etiam ineuntem æſtivam, ſuperioris anni tempeſtatem, id eſt, ſeptuageſimi octavi. Deinde, illâ, quæ hunc annum anteceſſit, æſtate, nimirùm anno

anno ſeptuageſimo ſeptimo, incredibilem pene hominum multitudinem, toto Belgio, omnibus in urbibus, ac oppidis, ægrotaſſe, ut, certis in locis, vix ſeptimus ille annus octavo cederet: eóſque univerſos haud aliis pene morbis, quàm omnis generis Febribus, conflictatos conſtat. Igitur illius anni commentarios mihi perſcrutanti nonnulla fortaſſe occurrunt ſymptomata, quæ hujuſce morbi ſymptomatis ſimilia poſſem dicere, ſunt enim fere eadem: & exinde multa quiſpiam congerere poſſet argumenta, quibus eundem hunc morbum jam ante biennium in Belgio graſſatum eſſe exiſtimaret. Ad hæc, *Cl. Dn. Schachtius*, uti lego in pugillaribus, morbum illius anni ſeptimi Epidemicum diſertè compellavit: quod item argumenti loco haberi poſſet ad idem evincendum. Verùm, cùm hæc ita ſint, illud etiam pro certo habeo, ne ipſum quidem clariſſimum Schachtium, utrumque illum morbum epidemicum pro uno, atque eodem, habuiſſe, cùm de illâ re ne fando quidem mentionem fecerit, tot horis, tot locis, tot apud ægros, ac diſcipulos, quibus illum, pene cottidie,

toto anno ſeptuageſimo octavo, de Febre hac Epidemicâ differentem audivimus. Imò illud etiam teſtari lubet, nullum me unquam Medicinæ profeſſorem Leydenſem, nullum illius urbis medicum, vel Chyrurgum, nullum facultatis Medicæ ſtudioſum, hominem denique vel fœminam, inter Batavos, nullam audiviſſe, qui poſterioris anni morbum cum priori compararet, vel eundem eſſe diceret. Ut id mihi ſingulari prorſus admiratione dignum videretur, ſi ea fuiſſet vel hominum opinio, vel Profeſſorum, in Belgio, & tamen ego tam aſſiduus illorum comes, quàm qui maximè, illam nunquam hiſce auribus hauſiſſem. Maneat ergo ratum, atque fixum penes animum meum, aut hunc morbum, de quo hîc agimus, Epidemicum, illo anno ſuperiore ſeptuageſimo octavo exortum eſſe, aut certè, quod ego nullatenus fieri poſſe concedam, illius originem tot Medicinæ lumina latuiſſe.

Ortus non ante an. 1678.

I V.

Jam vero propiùs aliquantulum ut ad illius originem accedamus, id quod etiam & ad magni illius viri, Schachtii inquam, honorem pertinere, & magni alicujus ponderis, ac momenti, auctoritatem habere, & magnopere, quæ â me dicta ſunt, de ortu hujus morbi, ſtabilire poſſe videtur, equidem memini, ſub vernum tempus ſuperioris anni, id eſt, ſeptuageſimi octavi, cùm frequentes illius latus ſtiparemus in Noſocomio, cùm nos de hoc morbo, nihil tale ſuſpicaremur, cùm ille totus eſſet in exponendis ægrotorum morbis, ſæpe illum, non ſemel; non bis, aut ter, ſed multoties; non obſcurè ſed diſtinctè, ac clarè; inſignes de illius ortu, tanquam de magno impendente malo, nobis prædictiones feciſſe. Eas ille, & a ventis tunc quidem ſpirantibus, & à ſimilitudine hujuſce morbi cum aliis, & à Scorbuto nuſquam non dominante, & ab inſolitis neſcio quibus aliis deducebat ſignis. Idque pro eâ, quâ in prænoſcendis morbis, prorſus antequam oriantur,

Prædictio Schachti circa hunc morbum.

inſigni præditus eſt facultate. Ita enim conſtat, non nunc primùm, verum multis temporibus multa illum de exortu morborum, multa de natura illorum, non pauca de eventu, multò antequam evenirent, non ſolùm in illa urbe, verum etiam alibi locorum, ſingulari cum laude; ac veritate, prædixiſſe. Id quod eximiè præſtitit in hoc caſu. Prorſus, ut mirari virum, & dicta illius ſubeat, quoties recordor. Ita enim diſtinctè loquebatur de hoc morbo, ita naturam illius depingebat exactè, ita certò de illius adventu pronunciabat, ut nemo eſſet illorum, qui audirent, quin ejuſmodi calamitatem adfuturam indubitatè ſtatueret. *Videbitis*, aiebat aliquando, *ſi hæc tempeſtas diutiùs perſeveret, hunc annum fore ſimilem illi anno* 69, *qui tam calamitoſus fuit huic urbi.* Deinde, *pro certo habete, Domini mei*, dicebat aliàs, *multa me videre, quæ magnum aliquod nobis malum, hoc anno, prænuncient.* Item, *obſervate, Domini mei, horum morborum genium, obſervate tempeſtatem hanc, attendite ad querelas Scorbuticorum, videbitis iterum Febres Scorbuticas, & totum annum redeuntem* 69.

Rurſus:

Rurſus: *Si quid ego de morbis conjectu-rari poſſum, & multa ſoleo conjicere, erit hic annus ferax morborum; ac utinam nobis non redeat ille annus 69.* Rurſus alibi: *ſic vix ulla Febris, vix ullus morbus, eſt, qui non ſymptomata Scorbuti nobis hac tempeſtate exhibeat, ut reverâ verendum ſit, ne annus 69 nobis hoc anno redeat.* Atque hæc ille proloquu-tus eſt decimo tertio *Junii.* Item alio die: *Scorbutus aggravat, & ſi hæc tempeſta adeò calida perſeveraret, ego valde metuerem huic urbi à morbo Scorbutico contagioſo, uti anno 69.* Item, *Hæ tertianæ ſunt,* inquit, *Scorbuticæ, & fere ſimiles iis, quæ anno 69 graſſatæ ſunt, licet mitiores.* Hæc ille, & hujuſcemodi ſexcenta alia, per eos dies proferebat. Ex quibus facilè videtis, & quid ille de hoc morbo ſenſerit, nimirum totum fuiſſe Scorbuticum: & quàm ne per ſomnum quidem cogitarit de ortu hujus morbi, de quo nunc agimus, ante æſtatem anni 78.

V.

V.

His ita dictis de ortu, de appellatione, de præſenſione circa hunc morbum, hinc porro progrediamur ad illius ſymptomata, ſi quo pacto poſſumus, enarranda, cæteráque dicenda, quæ ſuperſunt. Veruntamen illud quàm ſit difficile, nemo eſt, qui neſciat, qui hunc morbum probè noverit. Etenim, ſi quis unquam extitit, & varietate, & multitudine, ſymptomatum inſignis, hic morbus certè fuit. Ut nihil nunc dicam de gravitate eorundem, quæ aliis in hominibus major, aliis minor, nonnullis etiam læthalis fuit. Ac multitudo ſymptomatum huncce morbum Scorbuto planè non diſſimilem fecit, varietas vero ſibi ipſi abſimilem reddebat, adeò ut quot homines, pene tot morbos eſſe diceres, & exinde Scorbuto eſſe ſimiliorem. Etenim Scorbutum, & clariſſimus ille vir Schachtius, & ſapientiſſimi alii homines, his temporibus, ſic ſolent deſcribere: *Eſt Syndrome variorum, & graviſſimorum Symptomatum, quorum alia in aliis hominibus, neque vero*

omnia

omnia in omnibus, reperiuntur : Poſt quæ verba adjiciunt longam recenſionem ſymptomatum, quæ viſuntur in Scorbuto, præcipuorum. Prorſus ita vix contigit videre, in hoc morbo, duos homines eodem modo laborantes. Et tamen, in tantâ diverſitate querimoniarum, eundem morbum, vel potiùs eandem morbi cauſam, facilè poſſes agnoſcere; vel quòd hæc iiſdem cederent remediis, vel quòd cum diſſimilitudine ſymptomatum ſimilitudo tamen aliqua eſſet conjuncta. Sic ut, ſi cum Scholis concedatur loqui, ſanè *uniformiter difformiter* univerſos ægrotaſſe, dici poſſit.

V I.

Ergo in pleriſque morbus erat ejuſmodi. Primùm Febre corripiebantur homines. Ea verò febris, ut plurimùm, principio morbi, tertiana fuit, aut ſimplex, aut certè duplex, quamvis hæc quidem paucioribus inſederit, quàm illa. Accedebantque & frigus, & ſitis, & cætera, quæ in tertiana reperiri conſuerunt ſymptomata. In incremento vero morbi, Febris, plerumq;

Morbi Principium.

Incrementum.

rumq; continua erat, & ex genere putridarum. At ex facili rurſus fiebat intermittens, & vel tertiana Febris, vel cottidiana, vel duplex tertiana, vel hemitritæa, vel alterius generis, vel planè ἄτυπος, & quæ nullum nec recurrendo, nec exacerbando ſervaret ordinem; cùm alii homines cottidie, vel alternis diebus, ſtatas exacerbationes paterentur. Atque his temporibus, quæ dixi, tam principii, quàm incrementi, utique non difficillima fuit curatio, ſive ab initio Febris intermittens, ſive continua incubuiſſet, ſive, poſt hanc, intermittens iterum exciperet. Ubi autem ſtatus acceſſit, cuncta ea pejora fiebant. Siquidem & curatio ipſa longè difficilior reddita eſt, & continua Febris, quæ occupaverat, in plures abibat dies, quàm antea, & huic Aphthæ ſæpenumero ſupervenire, & alia peſſima videbantur. Cumque continua ſe inclinaret, intermittentem nihilominus accerſire, fere qualem dixi, eamque pejoris, quàm quidem antea ſolebat, indolis. Is ſtatus obtigit, ut opinor, de menſe *Novembri*, vel certè ante *Octobrem* exeuntem. Neque diuturnus admodum extitit.

Status.

titit. Cæterum ſub hyemem manifeſtè ſe remittere, tandemque quartanas in Febres deſciſere, malum cœpit. Ex his quædam ſuâ ſponte, nulláque priùs habitâ adversâ valètudine, contigerunt: quædam Febri quidem prægreſsâ, veruntamen poſt longum tempus: quædam verò continuò poſt hanc homines invaſerunt. Atque hæc de morbi quidem temporibus diverſis notata ſunt: nunc ad ſymptomata accedendum eſt, quæ communia fere cuilibet ex his extitere. Declinatio.

V I I.

Itaque vomitûs aderat in pleriſque gravis; in aliis verò id ipſum deerat. Quidam bilem, quidam pituitam, quidam alios humores, alii unum genus bilis, alii aliud, nonnulli omnes humores permixtos vomitu excernebant. Maximéque bilis vitellina inter principia hujus mali: deinde in incremento ejus, aut etiam ſtatu, utique non hæc, ſed æruginoſa, vel porracea, id eſt, bilis ab acido humore depravata, prodiit. Circa præcordia cuncti incredibiles fere anguſtias patiebantur: fuêre tamen ex his qui leviùs, & qui Symptomata præcipua.

nullatenus

nullatenus angebantur; fuère, qui nec reſpirare, niſi ægerrimè, nec quieſcere, nec uno loco jacere potuerunt. Dolebat in multis hominibus caput: cæterum in aliis id ipſum minimè malè habuit, aut certè leviùs, aut niſi certis intervallis, aut certo, vel incerto, tempore paroxiſmorum. Vigiliæ, & ſitis, & inquietudo, & jactationes, hæc quidem univerſos fere affligebant; quamquam nec deerant, in quibus illa incommodum non afferrent, & vel omnia abeſſent, vel unum, vel plura. In multis cita alvus: in multis adſtricta eadem: His præcipuè quibus initio Diarrhœa non erat: quibuſque fluebat, eadem varietas excrementorum, quæ vomitûs, apparuit, quæque in omnibus ſymptomatis. Utraque autem rejectio, vel ab initio, nonnullos exercuit, eâ ratione, quâ qui cholerâ laborant. Quódque maximè mirum cenſendum eſt, hi & faciliùs morbum ferre, & multò celeriùs ab eo liberari videbantur. Artuum dolores, & lumborum, & abdominis, & totius corporis, & hi aliquando certâ ſede fixi, aliquando inſtabiles, & vagi, complures divexabant;

bant, quamvis non item alios, nec eâdem gravitate. Hæmorrhagiæ in multis periculum attulerunt, incipiente in his, in illis verò deſinente morbo, ſive è naribus, ſive è pectore, & aliunde. Lumbricis item multos exercitos conſtat, & hos excreviſſe, tum viventes, tum mortuos, tum per alvum, tum per os, quoſdam inclinante jam morbo, quoſdam conſiſtente. His accedebant tormina, quæ multos quoque graviter habuêre, quamvis vermes non prodirent; cùm in aliis nihil tale. Fames nulla, & appetentia cibi penitus proſtrata, magnam partem hominum tenebat, quæ quoque, mutato morbo, in his facile inſtaurari viſa, in illis diutiùs perſeverare. Sputatio in multis multa, diu gravis, imprimis his, qui in quartanam Febrem evadebant. Quin & aliis, jam inde à primordio adverſæ valetudinis.

VIII.

Vertigine autem tentari, & in orbem agi caput, præcipuè convaleſcentum, tam erat commune ſymptoma, quàm quòd maximè, quamvis ſemel dixi, nullum ſignum, in hoc morbo extitiſſe

Plura Symptomata.

extitiſſe conſtans, & perpetuum. Symptomata, qualia Scorbuticis ineſſe ſolent, frequentes adeò vexabant, ut clariſſimus Schachtius non dubitarit, morbum Scorbuticum pronunciare. Veruntamen, hæc ſi non eſſent, nihil Scorbuto ſimilius, quàm morbi inconſtantia, & varietas ſymptomatum, & eorum in aliis, atque aliis, diſſimilitudo perpetua. De cætero, complures citò Scorbutus invadebat, & huic ſe morbo jungebat, in multis præire viſus, at in hominibus non paucis, hic in Scorbutum deſciſcere. Inſequebantur tumores pedum oedematoſi, morbo declinante, & inflatio totius corporis, & in quibuſdam hydrops aſcites, & in aliis nihil horum. Quamvis pauci evaderent ſine languore magno, & diuturno. Ac ventris quidem diſtentio diu quibuſdam manere, poſt morbi receſſum, nec ita promptè auferri, ſive ſuâ ſponte, ſive Magiſterio aliquo, commotâ alvo, viſa eſt. Attamen, ſi flatus prodibant, ab his quidem illa anxietas, quam dixi præcipuam fuiſſe in hoc morbo, minor aliquantò fiebat. Inter hæc, communis erat pleriſque pulſus, & exiguus & imbecillis,

tillis, & celer, & frequens. Commune quoque frigus inter initia febris; his quidem nec grave, nec longum; illis autem utrumque. Calórque inſequtus eſt, quibuſdam mitis, & tolerabilis; in quibuſdam ariditatis *ſenſum, & vehementem acrimoniam oſtendens. Quibúſque hæc incidebant, ii tum crebriùs ſpiritum ducere, tum difficilius, tum, ob anxietatem inſignem, uti canes, anhelosè. Notatúmque eſt, qui potionem liberaliter ingererent, majoribus anxietatibus premi. Nec ſatis erat rejeciſſe, quò anguſtia decederet. Quin etiam vires uſque eò interciderunt his, vel illis ægrotantibus, ut poſt biduum, triduumve, in lectulo ſe commovere non expeditiſſimè poſſent. Idque malum, quemadmodum ſupra poſui, tardiſſimè reſtitutum eſt. Denique color multis, qualis mortuorum eſſe ſolet; manſitque nonnullis poſt morbum, quàm diutiſſimè illud ſignum.

I X.

Morbi genius.

Cæterùm nihil inconſtanti morbo admirabilius. Itaque, in his, facillimè extundebatur; in illis, non niſi difficillimè. In quibuſdam intra quatuor, vel ſeptem, vel etiam quatuordecim, expiravit dies: cùm in quibuſdam aliis vix totidem dierum ſeptimanæ, vel menſes, curationi ſatis eſſent. Fuère, qui leviſſimo epoto medicamento, vel Vomitorio, ſtatim ſublevati ſunt: fuère & qui incaſſum cuncta artis præſidia adhibuère, tametſi centies repetita. Nonnulli certam morbi typum, & notum aliquod febrium genus, perpeſſi ſunt; nonnulli per incerta omnia affligebantur. Quidam fœliciter, curato morbo, evadebant: quidam, eo non minùs fœliciter ſublato, relabi tamen. Ex his quidam ſemel recidivam faciebant, quidam multoties, quidam breviſſimis intervallis à morbo, quidam longiſſimis. Quidam non tam relabi in eundem, quàm eundem morbum de novo pati videbantur. Alii nec ad ſanitatem accedere, nec relabi; ſed, ut curſores equos, ſic de die in diem

morbos

morbos mutare deprehenſi ſunt. Ex his certi, quibus ab initio febris continua fuit, ab eâ deſcivêre in tertianam; & abhinc in tertianam duplicem; deinde in cottidianam; dein rurſus in tertianam; & ab hac poſtremò in quartanam. Quæ & ipſa tollebatur, & redibat; & ſæpius abitum ſimulans, rurſus emergebat; & duplex cùm eſſet, in ſimplicem; & ſimplex in duplicem, evadebat. Alii verò, quibus inter initia tertiana febris incubuit, primùm facilè ſanabantur: utique certi etiam ſine medicamentis: in tuto ſe exiſtimabant: res proinde ſuas, ut ante, agebant. Sed hi graviſſimè poſtea periclitati ſunt, morbo non ſolùm redeunte, verùm etiam in pejorem converſo. Alii ſimplici correpti tertianâ, mox in duplicem, vel continuam febrem; vel cottidianam; decidebant: & hinc rurſus in ſimplicem; & ſubinde in incertam, & erraticam; & non pauci in lentam, commigrabant. Commune multis fuit, aphthis erumpentibus, febre ſtatim levari. Aliis, ne id quidem profuit; & hi de vita periclitabantur. Quidam iterum, & tertium, aphthas, nec leves eas quidem,

ſed quàm maximè confertas, & graves experiebantur. Quidam nullas; vel omnino paucas. Multi febre ſublevati haud idcirco morbum exuebant, ſed imbecilitate virium diutinè laborabant, & vertigine tentabantur. Et qui veteres morbos experti fuiſſent, in eos confeſtim ibant, quales erant Iſchias, & Podagra, & Arthritis, & Scorbutus, & Lippitudo, et dolor capitis, et innumera hujuſcemodi.

X.

An definiri poſſit?

Ac ſatis multa diximus de Symptomatis. Neque interea cuncta me retuliſſe arbitror. Neque quenquam mortalium id niſi ægerrimè præſtare poſſe, ut cuncta commemoret, quæ ſingulis hominibus evenère in hoc morbo. Itaque ex infinitis propemodùm pauca ſelegimus, quæque maximè fuère conſpicua, et vulgaria, et in multis cognita, et perſpecta. De iis quæ rariùs contigerunt, et non niſi paucis hominibus; nihil omnino dicentes, cùm id infiniti ſit laboris. Sed neque tertia pars illorum, de quibus retuli, in plurimis incidebat: et in his

his plura, in illis pauciora, eveniebant: & in quibuſdam omnia, quæ ſupra poſita ſunt, & eô amplius: & nullum aliquod Symptoma omnibus perpetuum fuit: et quiſque nova ſibi non rarò ſigna adſciſcebat, quæ in aliis neutiquam apparuêre. Prorſus, ut, in tanta varietate, notam aliquam morbo huic inurere, et ea dicere, per quæ à quibuſvis aliis diſcerni poſſet, ſive recentibus malis, ſive vetuſtioribus, qualia ſigna Pathognomonica Græcis appellantur, pene impoſſibile videri poſſit. Utique enim iſta ſigna, neque ſolà, neque certâ multitudine, finiri poſſe, ex dictis conſtare debet. Ac proinde hunc morbum, neque propriè definitionem, ut quædam ægritudines, neque deſcriptionem, niſi difficillimè, ut Scorbutus, & quædam aliæ, ſuſtinere. Veríque ſimile eſt, quod initio dixi, & à clariſſimo Schachtio pronunciatum eſt, huncce morbum *intus*, & *in cute*, ut ita loquar, Scorbuticum fuiſſe. Non ſolùm, quòd, inter initia, infinitus populus de Scorbuto conqueſtus eſt, & utriuſque communia fuère ſymptomata complura: verùm etiam propterea

rea quòd nullis legibus circumſcriptus omnia tam conſtanter habuerit alia, atque alia; & neque finitione ſe, neque deſcriptione comprehendi pateretur.

X I.

Quæ ſigna maximè communia.

Hæc cùm ita ſe haberent, fuère nihilominus conjecturæ quædam, quæ morbum iſtum, utique ab initio proderent, notúmque omnibus facerent, ipſum, non alium, eſſe, ne anceps judicium Medicorum eſſet. Seu quia illa ſigna eo modo affligebant, quo quidem vix aliàs: ſeu morbi frequentia ſuſpicionem faceret: ſeu naturâ ipſius, & more, indicia ſui non obſcura præberent. Igitur ex omnibus, quæ ſupra retulimus, ſi qua aliis alia communiora, hæc certè maximè fuère. Fere autem illa contingebant, & in paucis viſa ſunt abeſſe; &, ſi unum, non tamen omnia. Nauſea, vomitiones graves, anguſtiæ circa præcordia, gravitas membrorum omnium, & laſſitudo, vertigo, vigilia, ſitis, jactatio, languor recedente morbo, & quæ his ſimilia ſunt. Quamquam hæc

hæc poſteriora & in omni febre poſſint contingere, & propterea hunc morbum vix patefacerent. Illa tamen, quæ primò poſita ſunt, vomitio, & nauſea, & anguſtiæ, & laſſitudo,& dolores, adeò viſa ſunt omnibus eſſe communia, ut nulla magis, &, inter initia hujus morbi pene ſola illum nobis commonſtrabant. Procedente morbo, mutabilitas ejus ipſius, vel pertinacia, & frequens recidiva, & in alios, atque alios, morbos commutatio, & longa imbecillitas, & vertigines, illa verò nullum dubitandi locum relinquebant, in quibus exiſterent. Nam, quòd maximè mirum videri poſſit, in quibuſdam cita ſanitas, in quibuſdam eadem non niſi tardè conſecuta, indicia hujus morbi pene paria fuère. Igitur, cùm hæc niſi poſt tempus aliquod in conſpectum ſe non darent, ac interea maximè referat, quis morbus ſit, à principio medicum cognoſcere, neque vomitiones illæ perpetuò adeſſent, certè vel ſolæ reſtabant anguſtiæ præcordiorum, quæ Medicos ceu manuducerent ad iſtius morbi cognitionem, vel pigrities, & laſſitudo, artuumque dolor, vel penes men-

tem Medici judicium omne erat.

XII.

Urinæ.

Ac miretur fortaſſe quiſpiam, nullam, inter hæc omnia, urinarum nos mentionem feciſſe. Sed in promptu eſt reſpondiſſe, illas adeò fuiſſe varias, uti fere fit, & inſtabiles, ut ex illis nulla certa ratio haberi potuerit. Neque mirum, ſiquidem & pulſus ipſe, & typus febris, & idæa valetudinis hujus, tales quoque fuère. Ceterùm urinas Scorbuticorum ſimiles, nullus non centies vidit. Et ſiquis alius, hic color, & conſiſtentia, & hæc contenta, maximè fuère familiaria. Si illa non erant, utique, in aliis, rubri coloris, & ardorem præ ſe ferentes, ab initio adverſæ valetudinis, & craſſiuſculæ tamen erant. Quibus oſtenſis, mox intra ſe turbari, & ſedimentum copiosè detrudere, videbantur. At, in aliis, id ipſum ſine mora obtigit, ut quàm minimè pellucerent, ſed ſimul ac emiſſæ eſſent, aut turbidæ, aut turbatæ lymphæ, colorem referent. Neque crudas, quas vocant, urinas,

urinas, aut quas tenues, & aquæ ſimiles, niſi in perpaucis, notare licuit. Neque concoctionis ſigna ſe rarò exhibuère; ſed, relabentibus iiſdem, minùs tutò fidebatur. Par quoque ratio fuit ſignorum, quæ colliguntur ex lingua, de quibus pariter neque verbum fecimus, neque certam obſervationem inſtituere, ut opinor, quiſquam valuit. *Inſignia* quininno *Delphenſia*, quod genus ſigni in peſſimis numeratur in Hollandia, nullam certitudinem conjecturando præbuère. Sed in quibus viſa ſunt adeſſe, quod non rarò incidit, interdum malum eventum, interdum verò contrarium, præſagire ſolebant. Non minùs quàm linguæ reliqua ſigna, de quibus dicere ſupervacuum eſſe exiſtimo. Idémque dici deberet de Criſibus, niſi quòd hîc locorum has multi propterea minùs curant, quòd minùs utilem exiſtimant illarum obſervationem, quòd tamen falſiſſimum eſſe conſtat: nimirum, in quamplurimis, & incertas, quoad tempus, & infidas, quoad ſpem, & non tutas, quoad eventum, extitiſſe. Viſi tamen ægri fuère, quibus perfectæ Criſes, ut vocant, & ci-

Lingua.

Criſes.

tam

tam ſolutionem à morbo, & ſecuritatem omnimodam præſtiterunt. Viſi è converſo, quos eædem graviores ſuo tempore, id eſt, quarto, ſeptimo, undecimo, quartodecimo die, extinxerunt. Veruntamen, ex omni genere Criſeôn, nullum notare licuit, quod quidem huic febri eſſet proprium, ac conſtans. Uſque adeò morbus iſte per incerta omnia ferebatur, ut ſi inconſtantiam ipſam depingere, morbum tamen hunc non idcirco liceret.

X I I I.

Quinam præcipuè correpti.

Sed ne hoc quidem, quamvis diligenter requiſitum, annotare licuit, quod genus hominum malum iſtud præcipuè, inter reliquos, afficeret. Satis enim conſtat, quoſdam morbos etiam Epidemicos, his hominibus magis, illis minùs infeſtos fuiſſe. Deinde certos fœminis, certos pueris; alios ætati huic, quàm illi, plus nocuiſſe. Itaque, ante decennium, cùm febris huic ſimilis Epidemica, cujus ante mentionem fecimus, urbem Leydam depopularetur, divites, & ſplendidas

didas perſonas, pene omnes, è vivis abſtulit; reliquis parcebat: Ut è ſeptuaginta viris rem publicam adminiſtrantibus, vix omnino duos ſuperſtites eſſe ſiverit. Aſt in hoc malo nihil ſimile. Æquè enim divites cum pauperibus, viros cum fœminis, æquè omnem ætatem invadebat. Nullúmque diſcrimen ægrotantium dabatur, ſeu hanc, ſeu illam, vitæ conditionem ſuſtinerent. Cæterùm diſſimulandum non eſt, quoſdam non deſuiſſe, qui pueris, ac inſantibus, quàm reliquis, hunc morbum benigniorem fuiſſe crederent; id ipſum tamen aliis negantibus. Ac inter civitates Belgicas, quæ populo, ac frequentià hominum, cæteris antecellunt, paulum initio diſcriminis animadverſum eſt, utra magis laboraret. Ut eâdem gravitate pænæ ſimul Amſtelodamum, & huic proximam ſplendore Leydam, æquè Hagam Comitis, ac Roterodamum, non minùs Harlemum, quàm Delphos, uno tempore affligere videretur. Attamen haud ita multò poſt patuit ſucceſſu, urbem quidem Leydam paulò minùs reliquis laboraſſe. Præcipuéque ille rumor percrebuit, Quæ Urbes.

buit, quòd hîc pauciores, quàm in illis locis, vitâ decederent. Quod nihilominus & numero Medicorum, & horum quoque præſtabilitati, jure poſſet attribui. Nihil item initio diſcernere conceſſum, ruri ſalubriùs habitaretur, an in urbibus, cùm in minoribus oppidis, ac pagis, non minùs gravem tempeſtatem hanc experirentur homines ruſticani, quàm cives. Nunc tamen illam opinionem invaluiſſe video, quæ multò perniciofius hoc malum in agris, quàm intra muros, extitiſſe ferat. Quin etiam longè plures inibi diem obiiſſe. Quod, utrùm ad defectum Medicinæ referendum ſit, an aliam ad cauſam, ignoro. Credibilius tamen eſt, ubi Medici deeſſent, ibi neceſſariò plures deſiderari debuiſſe.

Ruri, an in urbe, pejus fuerit.

X I V.

An malignus extiterit.

Inquiſitum quoque eſt in malignitatem morbi. Multis, ut in Angliâ, eum malignum prorſus conſtanter appellantibus; aliis, in quibus erant Leydenſes, eam vocem vix unquam uſurpantibus. Ac de malignitate quidem,

quidem, in utramque partem diſceptari poſſe video. Itaque in primis definiendum eſſet, in quo illa conſiſtat: ſic enim citò rixa conquieſceret. Neque enim omnis morbus, qui acutus, eſt quoque malignus: neque is, quo infinitus populus corripitur: ut neque, cùm quis morbus difficilè ſanatur. Itaque ab optimis Authoribus, in quibus quidem Schachtium, clariſſimum virum, eſſe volo, de malignitate ſic ſtatuitur. Scilicet, ut is ſolùm morbus ex hoc genere habendus ſit, qui protinus ab initio adverſæ valetudinis, id eſt, ſecundo, tertio, quartóve die, ſummopere vires proſternat, ut ægrum mori putes. Qui interea morbo congruentia minimè habeat ſymptomata: ut, ſi hæc pauca, & nullius fere ponderis, ille vehemens ſit, aut contrario modo, hic fere contemnendus ſit, illa verò & fortiſſima, & maxima, ingruant. Qui ſæpe homines inexpectatò rapit, deluſâ ſpe, & promiſſis Medicorum. Qui remediis, optimâ lege præſcriptis, nullatenus obtemperare vult. Vel qui ignotus penitus eſt, & ob id novis rebus indiget. His illi, & ſimilibus,

morbum

morbum malignum circumſcribunt. In quo quis non videt, eum à peſtilenti morbo, aut etiam peſte ipſa, nihil niſi gradu diſtare, & fortaſſe numero occiſorum. Id quod iidem clariſſimè profiteri ſolent, cùm, manentibus ſignis, quæ poſita ſunt, peſtem dicant, inter initia, plures tollere correptos, quàm quibus parcit, morbus autem malignus plures ſinat evadere, quàm quos rapit.

X V.

Quibus de cauſis quidam negent.

Hactenus reperitur doctrina, quæ de morborum malignitate traditur. Ergo illi ſapientiæ profeſſores, cùm ultra hos cancellos progredi nollent, notam illam propterea minimè huc adſciſcendam judicabant. Perſpiciebant enim, ſi vera illa ſigna ſunt malignitatis, ex his, ne unum quidem, huic malo convenire. Nam neque vires tantopere ceciderunt, inter principia morbi, ut protinus ægris metuerent, quamvis imbecillimæ in quibuſdam eſſent. Neque ſymptomata, vel morbus, adeò graviter incubuerunt, ut inter ſe vix congruerent. Neque ſubitò

ſubitò tollebantur homines. Neque ullo tempore auxiliis non facilem, & obtemperantem, ſe malum oſtendit. Nec, quod initio dixi, ad nova confugiendum fuit remedia, cùm veteribus egregiè pugnaſſent. Quæ quidem omnia, tum ex iis, quæ dicta ſunt, hactenùs, tum ex his, quæ dicentur, conſtare poſſunt. Nam, quod ad remedia pertinet, dicendum id ſæpius eſt, vix ullo tempore morbum fuiſſe cognitum, præſertim ex genere Epidemico, qui faciliùs medicamentis omnimodis cederet, veteribus ſcilicet, optimíſque, & præſtanti quâdam arte præſcriptis. Id ni ita fuiſſet, fieri certè nullo modo potuiſſet, quin, uno tempore, innumerabilibus laborantibus, multò plures periiſſent, vel potiùs infiniti mortales. Et tamen in urbe Leyda, frequentiſſimâ, ac maximâ, cùm ad ſummum gradum invaletudo perveniſſet, cùm nulla domus ſine ægro eſſet, aut etiam pluribus, cùm ingens Medicorum manus, quæ in illa urbe, utpote florentiſſimâ Academia, nunquam defuit, vix, ac ne vix quidem, tot ægris inviſendis par eſſet, liquidò conſtitit omnibus ex

cenſu capulorum; in quos ſingulos tributum ibi publicum penditur, numerum morientium intra ſeptem dies vix vigeſimum attigiſſe ſupra conſuetam obire multitudinem. Id quod, per eos menſes, propemodum quotannis, adultâ æſtate, etiam cùm ſani ſunt homines, ſolet contingere. Quin is quoque numerus brevi tempore minui, et intra pauciſſimas ſeptimanas dierum, in priſtinum cenſum redire viſus. Quòd ſi Amſtelodami, ex eodem cenſu, multò plures ſolito, quam Leydæ, diem ſuum obière, prorſus id attribuendum erit, vel frequentiſſimo populo, vel exterorum hominum multitudini, vel projectæ conditionis plebi, quæ maximis in urbibus perpetuò magna ſanitatem deſpicatui habet, vel paucitati Medicorum præ Academia, vel imperitiæ eorundem, et audaciæ, in quibus ſunt Empyrici, quorum quidem inibi permagna vis eſt, vel militibus ex caſtris redeuntibus, vel caritati Medicorum, majora, quàm alibi, ſtipendia exigentium, ex quo factum, ut complures ne opem quidem illorum poſcerent. Etenim has omnes cauſas, et eô plures, in civitate confertiſſima

fertiſſima dari conſtat. Quæ cum ita eſſent, quantum fama percrebuit, vix centeni, biſve centeni homines, nec niſi pauciſſimis octiduis, ultra numerum ſolitum, è vivis excedere comperti. Quod etiam ſine Epidemia, vel morbo maligno, evenire potuit. Neque enim id rarò in illa urbe, per æſtatem, præſertim ſolutis caſtris, contigiſſe audio, nihil interea populo, nec utique Medicis, de peſte, vel malignâ valetudine ſolicitis.

XVI.

Igitur cur malignitatis notam illi morbo inurerent, qui ſolito plures de medio minimè tollebat? At, dicet quiſpiam, curatu erat difficillimus. Mendacium, ingens. Satis enim conſtat, innumerabilem plebem, vel ſine Medicina ſanatam eſſe. Et remediorum virtus tam efficax ubique fuit, ut illam nemo ſine admiratione adſpiceret. Ut dicerent, per id tempus, juvenes Medici, quique etiamnum ſtudiis inhærerent, ſe nullo optabiliori anno potuiſſe ad artem faciendam accedere. Lucrum enim, & famam, Objectionum ſolutio.

facili negotio ſe comparaturos: nec, ob numerum ægrotantium, defuturos clientes; nec, propter morbi modeſtiam, ſeſe à caſibus timere. At redibat morbus, & protrahebatur, & longam imbecillitatem à tergo relinquebat, & alios quoque morbos, & hi ſubinde alios adſciſcebant. Quæ omnia nos ſupra quoque faſſi ſumus. Verum id eſt: veruntamen dicam de ſingulis. Ergo *redibat morbus*. At ne media quidem pars hominum, nec fortaſſis tertia, nec quarta, id ipſum experti ſunt. *Protrahebatur*, dicis. At, tibi dico, in paucis: quos item nullo tempore remedia non juvabant. An ſi una febris quarto, alia ſeptimo, alia quartodecimo, alia vigeſimo die ſolvatur, hæc, quia protractior, propterea maligna dicenda? Ego potius malignam exiſtimarem eſſe, quæ quarto, vel ſeptimo, ægrum contra vim remediorum eripiebat. Huic verò notam malignitatis demerem, vel ob idipſum, quòd in longitudinem abiret, & vim Medicinæ perſentiſceret. Ab illa enim fieri putandum, ut morbus moram trahat. Nam niſi vel Medicinæ, vel naturæ ipſius, auxilia adjuvarent,

varent, quî fieri poſſet, ut non omnes morbi citò perimerent? Ex his apparet, in quibus protractior fuit hic morbus, non propterea malignitas extitit: ſed nec idcirco difficilis curatu fuit, quòd in paucis id eveniret: & in his quoque auxiliorum efficaciam malignitatis abſentiam teſtatam eſſe. Attamen imbecillitas virium, & vertigines, & ſimilia, diutius perſeverare viſa. Fateor. Sed in iis vel præcipuè, qui Medicos, & medicinam ipſam, præpropere dimittebant. Et hæc mala, ſeu per ſe, ſeu facili ope, cùm eos revocaſſent, tollebantur. Nec, in paucis, illa ipſa contemnebant Medici, tum vitium aëris, tum morbi genium, cauſantes. Nec ullis fere periculoſa erant. Ergo quæ tam magna in his malignitas ſubeſt? Morbos alios, inquis, relinquebat. Sed qui nec difficilè tollebantur, nec periculoſi exiſterent. Quid in hac re malignitatis invenis? Omnino ſi iis eſſet difficillima curatio, & hæc periculoſiſſima, poſſem ego tecum malignitatem ſuſpicari. Nunc, cùm hæc omnia abeſſent, in alia omnia eo. Curati alios adſciſcebant. Veruntamen quos eadem fa-

cilitas curare videbatur: quibuſque nihilo plus malignitatis inerat, quàm qui præiverant.

X V I I.

Ulterior ſolutio.

Breviter dicam. Hi, quos diu alius ex alio morbus trahebant, pauci fuêre præ numero ægrotantium. Feréque omnes, & cachectici, & invalidi. Quodque notare dignum eſt, tum id accidebat in pleriſque, cùm menſem integrum, aut eo amplius, ex Epidemicâ ægritudine convaluiſſent. Ad hæc, vix aliud malum in hac viciſſitudine, quàm quod aliàs in Cachecticâ ſpecie corporum, experiri licuit; ut, uno morbo curato, alius ſuboriatur. Nec, ob id, morbos malignos dicimus eſſe. Vel certè, ſi id ita eſſet, hi nunquam eſſe deſinerent. Inerat verò diſcrimen, quòd hi morbi multiplices faciliùs, & tandem penitus curati ſint. Cùm quidem, in peſſimo corporis habitu, quòd aliàs accidit malum unum poſt aliud, vix unquam integrè ad ſanitatem perducatur, nec niſi multorum annorum ſpatiis. His ita præſtitutis, potuit fieri (exponam

ponam quippe aliorum ratiocinationes de hoc morbo) ut, in multis, tot morbi ſuccedentes nullatenus à Febri Epidemicâ penderent, cùm jam illius, nec veſtigium, nec vola, diu fuiſſet. Verumtamen debilitatis corporibus ſponte ſupervenerint, uti eadem in omne morborum genus prona eſſe novimus: Hâc enim de causâ accidere, etiam ſaniſſimis temporibus, ut debiles, & eos, qui Cacochymici, vel Cachectici, appellantur, tot mala, & quidem alia ex aliis ſubnaſcentia, ad mortis uſque diem inſequantur. Corrupto ſcilicet ſanguine, omnibúſque partibus debilioribus factis, unde ille modò in has, modò in illas, vitia quidem ſua, & recrementa, identidem refundit. Quod tamen cùm accidit, nec malignitatis notam habet: nec priores morbos, illos, qui conſecuti ſunt, peperiſſe dicimus. Igitur, quibus quidem ſanguis & purus, & integer, erat, hi breviſſimo tempore liberati ſunt. Quorum pars longè maxima fuit, in hoc morbo. Qui eundem dyſcraſiâ infectum haberent, hi tot mala experiebantur, non quia febrem ante habuiſſent, verùm enimverò

quia depravatum haberent cruorem.

XVIII.

Alia adhuc argumenta.

Quicquid ſit, ſeu morbus unus incubuiſſet Epidemicus, ſeu decem poſt alios alii conſecuti fuiſſent, ſeu plures ſimul tentaſſent, experimento conſtitit, omnes curationem non difficillimè recepiſſe. Ex iiſque, qui ita decumbebant, pauciſſimos periclitatos eſſe. Igitur, ut ſemel in omne tempus dicam, quod fuit, *perpetuum fuit in hoc morbo poſſe ſanari.* Nec remedia ullo tempore, in quibuſdam licet ſeriùs, in his multò citiùs, non optatam opem attuliſſe viſa. Nevè morbo, vel ſymptomatis, vel morbis conſequentibus, operam applicuiſſent Medici, ſpes illos unquam, niſi rariſſimè, deſtituebat. Ea quin potiùs augebatur in dies ſingulos. Ubi ægros non viribus cadere, non vergere in pejus, ſed quantumvis lentè, proficere tamen (loqui autem me de pauciſſimis nunc meminerint) & vividos eſſe cernerent. Et ad plura capienda validos,

quo

quò plura cepiſſent, &, ſymptomate uno extincto, aliud renatum tolli, & unum morbum poſt alium jugulari, & nihil ineluctabile eſſe, & ſe quoque confirmari, optimis ſucceſſibus præſcriptorum, ad plura dum præſcribenda perſentiſcerent. Nam, ad alios, quod attinet, dixi jam, liberatorum longè maximam partem, occiſorum longè minimam extitiſſe. Ergo, in illis, cùm ad multitudinem incredibilem, in his, ad paucitatem ſingularem reſpicerent quoque Medici, utique ſpes illis in immenſum aſſurgebat. Ut nihil, in hoc caſu, ſe non efficere poſſe putarent. Quinetiam, ſi unquam aliàs, etiam jocundè ſe nunc artem exercere quidam profeſſi ſunt. Cùm, uno die, viginti ſe familiis valedixiſſe, nemine deſiderato, ac rurſus ad totidem quidem alias appellatos fuiſſe dicentes audiverim. Ergo, in tam facili curatione, tam exiguo extinctorum numero, cæteriſque rebus, quas commemoravi, quorſum morbi malitiam tantopere incuſamus? Quid? Annon hac æſtate proximâ, cùm & in urbe, & extra urbem Londinum, plebs ſatis magna decumberet, & novum Obſervatio ſingularis.

 morbum,

morbum, et malignum, inclamarent homines, et ruri, ubi ego tunc aderam, multorum obitus audire multi expectarent proximis tabellariis, viſum tunc temporis decedere, nunc ad triginta, nunc ad plures, de numero morientium ſolito? Idque, per eum menſem, quo vel maximè laboratum eſt. Quod ex catalogis vitâ defunctorum conſtitit. Igitur minimè ex numero laborantium, ſed neque diem ſuum obeuntium, æſtimare morbi malignitatem quemvis decet. Fit enim per hos dies, quibus quidem hæc ſcribo, ut intra dies quindecim, non minùs pauci quadringentis mortalibus, ſupra ſolitos, exceſſerint vitâ. Utique morte inductâ, ex perniciosiſſimis deſtillationibus, et hinc ortâ Coryzâ, vel Broncho, vel Catarrho, et Tuſſi, et hinc febre, et aliis malis. Id quod, per autumni tempeſtatem, in hac urbe, inſolens non eſt, etiam aliis temporibus, ut ne dicam, fere quotannis. Neque tamen interea malignitatem hiſce malis ineſſe dicimus, per quæ plures his diebus eripiuntur. Vel quia parcè id ipſum fit. Vel quia neceſſariò id evenit, ut, urbibus maximis, modò

Alia.

pauciores,

pauciores, modò plures tollantur. Vel quia inter anni tempeſtates inæqualitas ſemper eſt, & inter has autumnus pernicioſiſſimus eſſe conſuevit.

XIX.

Ab Empiricis ergo, & illiteratis hominibus, puto contigiſſe, ut vox ea malignitatis huic morbo indita primùm ſit. Utpote, quod curare vix poterant, id protinus malignum appellantibus. Ac indicio eſt libellus perexiguus, noſtrâ linguâ ab Empirico conſcriptus de hoc morbo. Quem quidem ille, & novum, & malignum, & prope peſtilentem, appellat. Non alia de cauſa, niſi ut Medicamentum à ſe Chymicè compoſitum populo obtrudat, ceu morbo huic tollendo ſummè neceſſarium. Jam verò quàm ingens multitudo & horum hominum, & aliorum, hanc artem, quàm minimè tenent, exercentium, in hac urbe ſit, nemo eſt qui ignoret. Itaque ab his rumore accepto, in vulgus quoque, & plebem omnem, manavit. Et novus morbus audire cœpit, qui vetuſtate cum Febribus, vel Scorbuto, antiquiſſimo

Unde fama malignitatis orta.

ſimo malo, certare fortaſſè potuit. Nam neque veriſimile eſt, viros ſapientes tali nomini cauſam dediſſe: neque Hercules unquam malignum id mali ſecum putaſſe, in quo ejuſmodi notæ, quales ſupra poſui, minimè reperirentur. Neque non ſtatim vidiſſe, quantum diſcrimen interſit inter hæc duo, morbum quidem malignum, & Epidemicum morbum. Quatenus uterque ſine altero utique dari poſſit, & aliquoties noſtrâ ætate vidimus.

X X.

De morbis hoc malum conſecutis.

Verùm redeo in ordinem. Ac dictum eſt de ſanabilitate hujuſce morbi. Nunc autem referam quidpiam ſingulare, dictis minimè contrarium, tametſi videri poſſit. Igitur, appetente autumno, prorſus uti fere fit reliquis annis, ſic quoque nunc in quartanas multi deciderunt. Id ipſum jam à me dictum eſt, in his, quæ ſupra memorata ſunt. Veruntamen ex omnibus morbis, in quos multi poſt malum hoc inciderunt, de quartanis experimento patuit, nullum pervicaciorem illo malo ſe præbuiſſe. Nullum penitus

tus, curatu difficiliorem. Dixi, penitus curari vix potuiſſe. Illud enim intereſt dici; non tam eas adverſus medicinam rebelles, quàm adverſus victoriam ſui plenam, pervicaces fuiſſe. Nam, quòd maximè mirum cenſeri poſſit, cedebant illæ viribus hujus artis. Nec minùs, quàm reliqua genera morborum, utique remediis morem tandem gerebant. Quin etiam in diem minui, & languere, & jam jamque mori: quodque his amplius eſt, ex toto recedere: & nihilominùs inexpectatò redire: & multoties cœſæ tamen reſurgere, & caput efferre, ut ante, videbantur. Et denuò, medicamentis adhibitis, de ferociâ cottidie paulum remittere; &, in ſingula eorum viribus amiſſis, ſpem facere, non ita diu ſuperſtites fore. Ut intra menſem vel minus ſpatium, iterum fatis concederent. Cùm, non ita multis diebus interpoſitis, rurſus in conſpectum prodirent, nec minùs vivas ſeſe, ac valentes, quàm antea, oſtenderent. Hi ludi ſæpius acti fuère in quibuſdam perſonis. Iique vel præcipuè nobis præbiti ſunt, in Noſocomio Leydenſi, per totam fere hyemem ſuperiorem.

Natura quartanarum hujus anni.

periorem. Omnino quippe cùm quartanarii homines ibi eſſent ſex, octóve, ex his, ne unus quidem, ad ſanitatem perduci potuit, niſi circa vernum tempus hujus anni, qui nunc etiam labitur. Cùm interea hyeme illâ, quæ proximam præceſſit, vel mediâ brumâ, & per id tempus, quo frigora eſſent maxima, ex iis, qui quartanarii erant, redintegratos nonnullos viderimus. Idemque aliis etiam annis fieri conſuevit.

XXI.

Prædictio Schachtii de quartanis.

Attamen ex iis, qui aderant, utique neminem mirari ſubiit haſce moleſtias cum quartanis ſuſceptas, quantæcunque etiam fuerint. Illas etenim clariſſimus vir Schachtius, medius fidius vates acerrimus in morbis prædicendis, diſertis quoque verbis non minùs, quàm quæ ſupra comprehenſa ſunt, & futuras, & tales etiam, id eſt, moleſtiſſimas futuras, jam dudum prædixerat. Ita enim ille, diu antequam res eveniret, quàm ſæpiſſimè: *Videbitis ex iis, qui hac Febre Epidemicâ nunc laborant, multos degeneraturos, per autumnum,*

tumnum, in quartanas febres. Quod ubi evenerit, videbitis item illas quartanas curatu fore difficillimas. Ita enim accidit anno 69, ut poſt febrem Epidemicam illius anni innumeræ relictæ ſint quartanæ, quæ prorſus uſque adeò fuêre pertinaces, ac rebelles, ut multæ ex iis in biennium integrum perduraverint. Quid clarius dici potuit? Habetis porro his ipſis verbis, non duntaxat prædictionem illius viri, verùm etiam teſtimonium ſingulare, & diſertum, quodnam judicium ejus fuerit circa hunc morbum, de quo agimus. Et quantopere hunc is ipſe cum Febre Epidemicâ illius anni 69 comparare etiam atque etiam ſtuduerit. Verùm de quartanis hactenus. Nam de curatione ipſis præſtitâ infra quoque dicetur. Supereſt hîc duntaxat, ut dicam; proximum quartanis locum tenuiſſe febres cottidianas, ſeu tales eſſent, quæ propriè ejuſcemodi à ſapientibus dicuntur eſſe, ſeu tertianæ duplices, quas nonnulli auctores cum prioribus, utique non ſatis hæc duo diſtinguentes, ſolent confundere. Ergo illud quoque valetudinis genus utrumque multis diu ineluctabile pene fuit. Sed & hi fere tutò decumbebant:

Aliarum quoque febrium natura.

&

& valentes ſatis ſe, dum morbis conflictarentur, præbebant: & virtutem remediorum, quòd per hæc mitiora cuncta ſibi eſſe dicerent, vix unquam deſinebant laudibus efferre.

XXII.

Quorundam exitus.

Aſt, uti non una omnium mortalium fortuna eſt, ſic neque vita, nec è vitâ exitus omnibus hominibus idem contingere poteſt. Igitur inter infinita ægrorum millia, ad quos morbus hic pertinuit, & nihilominus auſpicatò hunc annum evaſerunt, non defuère pauciſſimi alii, qui quòd pene ſubitò erepti ſunt, malignè decubuiſſe videbantur. Talis viſa eſt ſors Hadriani Severini bibliopolæ, talis quoque Arnoldi Syen, præſtantiſſimi viri, & Profeſſoris Botannici, talis perpaucorum quorundam aliorum. Et hoc prorſus pertinet ad argumentum malignitatis, de qua ſupra dixi. Veruntamen omiſſum à me caſu fuit, dum ad alia feſtino. De his ergo dicendum eſt; primò, rarentiſſimos fuiſſe. Deinde vix conſtitiſſe, ut concedam ad morbi genus malignum illorum fata referenda

Reſpondetur.

referenda eſſe, utrum febri Epidemicâ perierint, an aliâ. Quid enim? Annon omnibus annis febres malignæ incidunt, quantumvis paucæ, veruntamen hîc una, alibi altera? Quocirca ſi illo anno in populum paulò frequentiores febres ingruêrunt, vel alii morbi, qui per ſua ſigna diſcernuntur; anne propterea cunctos malignè ægrotare dicemus, quòd unus, vel duo, ex eâdem urbe, morbis malignis afflati ſint? Sic enim optimi Auctores tradunt: non utique omnes, peſte ferociente, peſte ipsâ è medio tolli. Sed, cùm aliis morbis, tum aliis quoque febribus, minimè peſtilentibus, eo tempore, locum dari. Ac prudentem proinde medicum eſſe oportere, qui ad hæc animadvertat. Interque innumerabilem plebem decumbentem, quis peſte afficiatur, quis non, nôrit diſcernere. Igitur pari modo potuit fieri, illi homines ut Febrem Epidemicam non habuerint, malignam Febrem habuerint. Quod ultrò concedere fas eſt.

XXIII.

X X I I I.

Veruntamen hoc quoque adjiciamus. Illos, tum febri hâc Epidemicâ, tum illâ quoque malignâ interiiſſe. Quid inde colligitur? Sanè non multum. Etenim, quæ cæteris hominibus nec periculoſa fere fuit, nec maligna, potuit ea quoque febris quibuſdam, ob malum corporis habitum, ipſiuſque adeò ſanguinis imprimis dyſcraſiam ſingularem, cum malignitate contingere. Ob hanc enim cauſam, vix aliam, veriſimile eſt, malignas febres, nunc hos, nunc illos tollere, id eſt, ſparſim, atque omni æſtate paucos. Cùm quidem intereà id vitii quàm minimè ex aëre, vel vitioſis effluviis, aliunde huc venientibus, contractum ſit. Quid enim? Venenum nonne credunt Authores, qui optimi habentur, intra corpus quoque noſtrum naſci poſſe? Neque ſemper neceſſe eſſe, ut populum alicui propriâ, vel alienâ manu, propinetur, quò is veneno intereat. Idem ergo dici hîc quoque nil prohibet. Febrem videlicet Epidemicam, quá correpti hi homines

Alia ſolutio.

homines fuère initio adverſæ valetudinis, ex ſubtiliſſimis particulis ſalinis, vel aliis, cruorem in corpore noſtro ferveſcere facientibus, quæ vel in aëre, per id tempus, ubique genitæ, vel aliunde prorſus ventorum impetu advectæ ſint, ortum duxiſſe. Quòd ea verò febris in malignam abierit, id ſanè, ex harum conjunctione cum particulis neſcio quibus aliis in corpore repertis, ſed tamen venenatis, factum fuiſſe. Potuitque etiam id fieri, ut tam extus inſpiratæ, quàm intus exiſtentes, id eſt, neutræ illarum atomorum, veneno pollentes per ſe eſſent. Utique autem conjunctæ, & inter ſe agglutinatæ, venenum nihilominus, vel, quod huic proximum eſt, malignam vim progenuerint. Quippe, ad hunc modum, Sp. Vitrioli, Sp. quoque Nitri, tuta ſunt medicamina, & Medicorum præſcripta rectè ſubeunt, quoties libet ea præcipere per ſe, minimèque in ſocietate alterius. At duo iſthæc, ſi quiſpiam eſſet, qui vellet conſociare, quid efficeret? Docet id Wedelius, author non contemnendus: *Regula medica eſt*, inquit *Spiritum Vitrioli, &*

Nitri, pro uſu interno, nunquam eſſe mi-
* *ſcendos. Induunt enim aquæ fortis natu-*
ram, quæ ex duobus his draconibus fit,
&c.

XXIV.

Sympto-
mata qui-
buſdam
peculia-
ria.

Superius reperitur ſymptomatum ſeries bene longa; quæ communia quamplurimis hoc malo laborantibus fuêre. Ergo etiam, præter hos, pauci quidam ſub aliis detinebantur ſymptomatis & propriis, & ſingularibus. Id initio quoque diximus. Ideóque nec commemorare nos pigebit. Itaque fœminæ, per id tempus, non paucæ fuère, quæ citiùs quidem ſolito menſtruatæ ſunt. Notati quoque viri, quos hæmorrhoides malè haberent. Interdumque illæ venæ nimis fluere, interdum nihil exſudare compertæ ſunt. Quibuſdam dentes vacillarunt, & horum dolor ingens, & maximus, aliquamdiu moleſtus fuit. At longè pluribus maculæ per membra inſidebant, aut iis, quæ viſuntur, in Scorbuticis, quàm ſimillimæ, aut certè eædem. Veruntamen in his magna quoque notata eſt varietas, prorſus ut
in

in Scorbuto fieri ſolet. Nam Petechiales, quæ nominantur, & reapſe tales exiſterent, aut nullos, aut non niſi perpaucos, corripuiſſe audivimus. Quamplurimos autem gingivæ dolentes, & exſaniantes, & pure fluentes, diu affixerunt. Verumtamen ſemel dixi, vix ulla Scorbuti ſigna extitiſſe, quæ hîc ſe non oſtenderint. Taliaque hæc eſſe ſcimus. Ac hæmorrhagiarum, quas multi ſuſtinuêre, ſupra quoque mentionem feci. Ergo & hæmoptoicos quoſdam novimus, & qui mictum ſanguinum, & qui dejectiones ſanioſas, habuêrunt, quibus que multus è naribus cruor ſtillavit. Pauciſque aliis & tumores pone aures, & in lingua, & ſpaſmus, & ſimilia, ſupervenêre. Nam cuncta referre, quæ huic malo ſe adjunxêre, neceſſe non eſt.

X X V.

Venio nunc ad extremam partem, in hoc opere, nec tamen ideò minùs principalem, curationem huic morbo, quæ adhibita ſit, dicturus. Quæ quoque ipſa & jam ſupra poſitis fidem fa- De Curatione.

cere debet, & iis novam quaſi lucem offundere. Igitur hoc loco præfari expedit, utique quò cætera meliùs percipi poſſint, Medicinam, quæ etiam nunc circa ægros fit in Hollandia, magnam partem Sylvium auctorem habuiſſe, celeberrimum virum. Id, cùm aliis locis, tum vel præcipuè Leydæ, locum obtinet. Nempe eâ urbe, in qua ille Medicinam profeſſus eſt, & per annos plurimos innumeris diſcipulis tradidit. Qui ipſi poſtea per cunctam Hollandiam diſſeminati, necnon Germaniam (habebat enim auditores Germanos etiam plures, quàm Batavos: & parciùs frequentata eſt Academia, ante proxima bella, ab ipſis Hollandis hominibus, quàm Germanis, ex immensâ regione eò diſcendi cupiditate confluentibus, & proprias interea ſedes Academiarum deſerentibus) hujus quoque viri doctrinam longè latéque propagarunt. Cæterum ille non tantùm medicinam in Scholis, id eſt, illius artis contemplationem, Academicis illo tempore prælegebat: Verum etiam quod præcipuum, & maximum, in hac arte eſt, praxim quoque ipſam, ſic enim appellatur,

Medicina Sylvii.

latur, & veram exercitationem ſcientiæ nobiliſſimæ penes ægros in Xenodochio, eoſdem edocebat. Et corpora coram iis morientium quàm ſæpiſſime incidebat. Hincque, non aliunde prorſus factum, ut in iis libris, qui etiam nunc prodeunt quotannis in lucem, *Ephemerides* dico *Germanicas Academicorum naturæ curioſorum*, non infrequens admodum Sylvii, & obſervationum, quæ ſub eo præceptore contigère Leydæ, habita ſit commemoratio. Diſcipulis videlicet Germanis res illas Leydæ addiſcentibus, ac inde uſque in extremos Germaniæ fines transferentibus.

XXVI.

Quibus ita generaliter de doctrina Sylviana præſtitutis, nihilominùs eam nunc in duas ſpecies dividere convenit. Ergo ſubtiliorem partem, Theoriam in Scholis dictam, quæ triumvirali humore tota nititur, neque, à principio ad finem, morbos, & horum cauſas, & cuncta, quæ intra corpus contingunt phænomena, per infinitam, & variam talium humorum diatheſim, explicare

Theoria, id eſt, hypotheſis Sylviana.

explicare deſinit in libris ejus viri, jam dudum eſt cùm Hollandi quoque ipſi deſeruêrunt. Alteram partem, praxim cognominatam, illâ multò evidentiorem, retinuêrunt. Nam neque, vivente etiam dum Sylvio, & eam opinionem inſigni fortitudine propugnante, pars ea caruit hoſtibus unquam. In quibus fuit Drelincurtius, acerrimus vir, tunc temporis Medicinæ, nunc verò & hujus artis, & quoque Anatomiæ profeſſor Leydenſis, quique auctor, & parens, eſſe creditur ejus libri adverſus Triumviralem humorem, qui Iano Leoniceno attribuitur. Neque etiam illis annis ea doctrina adeò multos ad ſe pellexit. Neque pars altera, quæ tota in curatione eſt poſita, & remediis præſcribendis, laudem unquam non mereri viſa eſt: & innumerabiles ſequaces habuit, & fortaſſe habitura eſt. Erat enim ille vir, ſi quis unquam alius, morborum curandorum peritiſſimus. Et quamcùmque affectionem tractandam ſuſcepiſſet, cunctos admiratione corripiebat, cùm nihil, quantùmvis difficile, non curatum vidiſſent. Quin etiam Medicamentorum efficacia, & dexteritas,

Practica pars potior habita.

ritas, quâ quidem is ſingula adhibuit, tanta viſa eſt diſcipulis, ut prope incredibilis haberetur. Nec meliora ſe reperturos confiderent, neve aliis, quàm ab illo traditis, uti vellent. Ergo etiam ea res longè pervagata, ac innumeris laudibus in cœlum ſublata, innumeros item diſcipulos huic viro peperit. Et prorſus ab eo tempore, tam uſus increbuit medicamentorum Sylvii, omnibus locis, quàm quorum maximè. Ut ſi Barbettem, Deckerum, Blaſium, alios auctores legas, qui poſtea ſcripſerunt, certè inter hæc, & illorum præſtituta remedia, non ita multum diſcriminis reperiatur. Quin Sylvium quoque auctorem fuiſſe multorum, quæ in libris Barbettianis habentur, ut præſtantiſſima, multi ſunt, qui referant. Summa eſt; Sylvium, vix alium, ſuſcipiunt, & imitari ſtudent, ingens multitudo Medicorum in Hollandia: quod ex illorum formulis conſtat. Et Medicamenta illius viri, vel penitus non diſſimilia, illorumque uſum, ægrotis adhibent. Fereque omnibus officinis commune eſt, ut venalia ſint medicamina, quæ & ille invenit, & in libris conſcripſit.

Nam Williſium noſtrum, quod attinet, tametſi præſcriptis remediis pleniſſimos libros edidit, ea ne attingunt quidem. Ideo fortaſſe quatenus ſummum contemplatione virum, minus omnino fœlicem operatione extitiſſe, dicendo audierint. Sed neque aliorum. Homines itaque Anglos, Harvæum, Williſium, Lowerum, Charletonum, Entium, Gliſſonium, Whartonum, Sydenhamium, alios (nam cunctos commemorare ſupervacuum eſt) ſanè legunt, & infinitis laudibus afficiunt, & in inveſtigandis abditarum rerum cauſis ut eximios auctores prædicant, in exercitatione tamen artis minùs æmulantur. Utique, non aliâ de cauſa, ut exiſtimo, quàm quia pauci ex noſtris pauca tantummodo de remediis morborum tradiderint. Nam de Williſio jam dixi.

Angli quatenus æſtimentur in Holl.

XXVII.

Quocirca Sylvius, curandis morbis immortalem famam, docendo artem, ut illa etiam ad poſteros transferretur, conſecutus eſt. Quod, ne cui

Encomium Sylvii Schachtio uſitatum.

cui mirum videri poſſit, dicendum hoc quoque eſt, neminem, illa ætate, cum illo viro, ne comparari quidem potuiſſe. Ut ea res ſola Leydenſes moverit, cùm tam multa ab eo patrari audirent Amſtelodami, ad hominem appellandum in civitatem, juſque profeſſionis illi conferendum. Quod, tametſi aliquandiu ille recuſare voluit, tandem verò obtinuèrunt. Veruntamen, ut ante Amſtelodami, ſic quoque Leydæ (nam nuſquam ille vir non artem exercuit penes innumerabiles ægros) inſpicientibus Academicis, tam multa ſanandis ægris præſtitit, ut omnes admiratione teneret. Ut Schachtius, qui Sylvio ſucceſſit, tam multitudine ægrotantium, quàm fælicitate artis, mirandus ſanè vir, minimè dubitet, ad hunc uſque diem, quotieſcumque de Sylvio rogatus, audientibus etiam diſcipulis omnibus, ſic de illo pronuntiare: *Similem Domino Sylvio Practicum, nec vidi unquam in vita mea, ſed nec puto me unquam viſurum eſſe. Ut ego planè, præ illo viro, vix me prima elementa praxeôs tenere confitear. Et tamen ſunt, qui me quoque aliquid eſſe exiſtiment.* * *Quod teſtimoni-*

um

um neceſſariò illi debeo reddere. Nam cæteroquin etiam contra conſcientiam meam loquerer. Quæ verba Schachtium multoties proferentem nos ipſi etiam audivimus. Quæ cùm ita ſint, ecquod, quæſo, teſtimonium hoc uno clarius adduci potuit, quò ſciatur, tum neminem claritate artis Sylvium antecelluiſſe, tum jure quoque contigiſſe, ut illius viri ſcientiam poſteri quique ſibi imitandam ſuſciperent.

XXVIII.

Schachtius diſcipulus Sylvii.

Illam verò artem & didicit Schachtius, & apprime tenet, cùm quidem fuerit diſcipulus Sylvii, & illi viro penè in deliciis habitus, quamdiu ſub eo magiſtro erat. Ut vel hinc jure merito Schachtius in magnam quoque famæ claritudinem evaſerit. Ac, præter hunc virum, turbam ſatis magnam diſcipulorum reliquit Sylvius. Qui etiam nunc non ſolùm Leydæ, verùm totâ Hollandiâ medicinam faciunt. Schachtius verò, qui jam multum, diuque, Medicinam eſt profeſſus, vix illo jam minorem multitudinem habet. Ex quo numero eſt Gequierus, qui ſecundus

cundus à Schachtio, nunc quoque Leydæ clariſſimam artem exercet. Non ſolùm penes cives, & plebem, cùm Medicus urbanus ſit, verùm etiam in Noſocomio coram Academicis, qui proinde hanc artem ab illo diſcere tenentur. Ita Sylvius Schachtium; Schachtius Gequierum; hi duo complures alios his artibus pepererunt. Tertiaque, & quarta, progenies agitur illorum, qui à Sylvio cùm artem Medicinæ primitus ſuſceperint, illam ipſam poſteritati traditam cupiunt. Quæ quidem omnia eatenus à me dicta ſunt, quò ſciatur, ſecundùm quam methodum, hypotheſim alii malunt dicere, hic morbus devictus planè ſit. Tum ut paucis dicendorum ſummam comprehenderem, dum in limine oſtendo, praxim Sylvianam etiamnum vivere, ac vigere, in Hollandia.

XXIX.

Schach. & Geq. præcipui Practici Leydæ.

Igitur ab his duobus, Schachtio, & Gequiero, curati fere Noſocomici omnes, qui hac febre detinebantur. Ab iiſdem, totâ urbe, tractata innumerabilis multitudo civium. Ut citatis vehiculis opus haberent ad obeunda tot ſpatia, cùm pedibus, id minimè poſſent. Auſimque prope dicere, fere dimidiam partem hominum, in ampliſſimá urbe, eorum, qui ſplendidi habentur, ab ipſis ſanatos fuiſſe. Præcipuéque, quòd nulli ſint Medici, qui præſtantiá, & claritudine, artis cum his ſint comparabiles. Cæterum artem ipſam, & rationem omnem, dicere, quam illi adhibuerint ad ægrorum multa millia, nemini diligentiſſimo conceſſum eſſe puto. Quocirca reliquum eſt, idque ſolùm mearum partium eſſe duco, ut Medicaminum duntaxat mentionem faciam, nec omnium, verùm nonnullorum, quibus quidem præſtantes hi viri, præ reliquis remediis, frequentiùs uti voluerunt. Quod idcirco ab illis factum veriſimile eſt, quia hæc eadem longè

longè rebus aliis efficaciora ad hanc ipſam valetudinem ſublevandam experti ſunt. Etenim neque omnia perpetuò omnibus morbis coveniunt: neque iiſdem, quantumvis propria ſint. Neque non certas quaſdam res diverſis febrium generibus magis competere, ipſiſſima cottidie experientia commonſtrat.

X x X.

Atque, quò de ſingulis dicam ordine, primùm quidem exordiar ab eo genere remediorum, quod in Hollandia minimè uſitatum, aliis in locis maximè ſalutare eſſe ſolet. Vomitum ſcilicet moventibus, quæ ideò Vomitoria nunc, neve Hercules incommodè, ab omnibus appellantur. Id genus, ut dixi (ſicut & alia, quæ memorare poſſem) in eâ natione, tantopere deſuetudine jacet, illud ut oblivio jam propè occuparit; præcipuè apud homines urbanos. Atque his quidem, ne comminiſci quidem Vomitorium fas Medico eſt. Utpote rudem, & illiteratum hominem judicaturis, qui rem ejuſmodi verbis proponere, Vomitoria.

nec

nec dum utendo adhibere vellet. Mori utique malunt tales quàm vomere. Nec quicquam eâ re terribilius eſſe exiſtimant, ne mortem quidem ipſam, uti Schachtium, præſtantiſſimum virum, ſæpenumero dicentem audivi. Quin etiam id ipſum non rarò dolentem, vomendi conſuetudinem, cui quidem ille maximam vim attribuebat, ſibi penitus in ea regione ereptam eſſe. Quâ tamen adhibitâ, non paulò faciliùs ſeſe morbos depellere poſſe diceret. Ergo etiam Wedelius, qui nuper de Medicina libros edidit, de his verè dixit; *Emetica, Herculeum, & Catholicum, remedium, morbos quaſi vectibus excludunt.* Quibus ita dictis, ex facili cognoſci poteſt, Vomitoria quidem in valetudine hac Epidemica, vel pauciſſima, vel nulla fere à Medicis præſcripta eſſe. Et ſine his quidem, morbum devictum, & expugnatum eſſe. Quod tamen ita intelligi velim, non quaſi propterea nocitura eſſent eadem, ſi Hollandi homines uti voluiſſent. Verumtamen, ut id potius gentis ejus moribus, quàm vel neglectui optimorum Medicorum, vel etiam imperitiæ, tribuatur. Siquidem

dem etiam Schachtium, celeberrimum virum, uti aliàs, ſic nunc quoque, morbo vigente, memini, bis, aut ter, quòd Vomitum facientium uſu deſtitutus eſſet, querentem audiviſſe. Idque diſertè aſſerentem, cùm illa hîc utiliſſima fore, tum, illis ſibi conceſſis, morbum à ſe multò faciliùs ſublatum iri. Ex quo percipi poteſt, genus hoc remedii utique in Hollandia minimè damnatum, verùm etiam probatum quoque fuiſſe â ſapientiæ profeſſoribus, in hoc morbo. Schachtius probavit.

XXI.

Adjicere libet, Vomentia medicamenta, quoniam quidem inter plebem egenam tunc verſaretur, per id tempus, in Xenechdochiis, non ſemel propinavit idem Schachtius. Nec res caruit ſucceſſu. Ut ſi morbus minimè detruderetur, multùm infringeretur ejuſdem vis. Meminiſſe quoque fœminæ poſſum, cui quidem tertianâ duplici ex hoc morbo, vel potiùs cottidiana, laboranti, eâque ſanè crudeliſſimâ, &, uti videri poterat, unâ omnium pervicaciſſimâ, bina idem Cl. Ea alicubi adhibuit Sch.

vir,

vir, interpoſitis ſpatiis, vomitoria exhibere viſus eſt. Unde vis morbi tantopere imminuta eſt, ut non ita diu poſt ea Valetudinario exierit. Cæterum, neque eò quidem loci, tale remedium ægrotis providendi plena concedebatur libertas. Quocirca paucis contentus, ut illorum uſum tantummodò oſtenderet, plurimis, quæ voluiſſet præſcribere, pepercit. Erant autem univerſa, quæ ordinavit, Vomitoria, ex infuſo in vinum Croco metallorum, unà cum aquâ Cinnamomi; velut etiam ſine eâ. Atque hæc hactenus de eo, quod fecit Schachtius, expertiſſimus, in paucis, vir. Attamen, quid reliqui Medici præſtiterint urbani, dicere vix poſſum. Veriqueſimile eſt, eos morem gentis ſecutos, eo remedio penitus abſtinuiſſe. De quorum numero nihilominus unum detrahere neceſſe habeo Chriſtianum Margravium, hominem ſanè doctiſſimum. Quique Chimiæ ſcientiam, viginti jam annis, vel eo amplius, ad Academicos privatim, eâ in urbe, profeſſus eſt. Is vomitoriorum perpetuus laudator, & conſtans, illorumque uſum apprimè tenens, nullo tempore

Margravius utitur.

tempore iis, quorum curam ſuſtinebat, quibuſque modò perſuadere potuit, multa propinare deſtitit. Conſtatque, in adverſa iſthac valetudine, toto tempore, quamplurima ab illo exhibita fuiſſe, ſanè quàm fieri poterat, fœliciter: Ut ad ſententiam, quam dixi, clariſſimi Schachtii, hujus quoque viri, omnino litteratiſſimi, & opinio, & conſuetudo in hac re, accedere debeat.

XXXII.

At iſta legens quæret fortaſſe quiſpiam ; quî tam citò Emeticorum intercidit uſus in Hollandia ? Siquidem Sylvius, quem nuper extinctum ſcimus, quique non ita dudum ſcripſit, hæc laudat omnibus fere paginis, & ad opem in morbis ferendam proponit. Quid? Deſciveruntne ab eo diſcipuli in hac re, quæ ille propoſuit, ut inutilia rejicientes? Anne potius civium illorum mores, ceu faſcino aliquo, repente mutati ? Cœterùm reſpondeo, neutrum horum accidiſſe. Liquet enim Hollandos ab iis remediis, quæ vomitum faciunt, jam ab omni ævo abhorruiſſe. Atque in ea pervicacia, Objectio.

quâ nunc quoque ſunt, ut ante ætatem illius, ſic tam vivente Sylvio, quàm eo mortuo, permanſiſſe. Neve interea diſcipulos ex illius doctrina, & medendi via, quicquam deflexiſſe. Verumtamen hoc quoque liquet omnibus, Sylvium, dum in vivis eſſet, medelamque infinito populo ubique faceret, in tantum accedentibus ad ſe placere ſtuduiſſe, ut nuſpiam ingrata, quæ futura eſſent, multò minùs inimica ſtomacho medicamenta, & faſtidita, & á quibus animus penitus eſſet alienus, in quo genere ſunt vomitum concitantia, protenderet. Quæ diſciplinæ jucunditas, & gratia remediorum, non injuriâ iis ipſis auctoritatem, uti Sylvio etiam, acquirere, tum inter vivos, tum apud poſteros, potuerunt. Itaque ſunt, qui nunc quoque referant, Sylvium, virum jure magni nominis, ne omni quidem vita unum utique præbuiſſe, quâvis neceſſitate propoſitâ, vomitorium. Quod, ſi verùm modo eſt, omnino ſingulari, in Medicina facienda, notitiâ dignum videri poteſt. Quòd verò ille, in libris, adeò crebram eorum, quæ vomitus cient, mentionem conjecerit, id ipſum Sylvium à

Margravio,

Margravio, de quo modò dixi, addidiciſſe aiunt. Hic enim cùm multa, & præclara, vomitibus excitandis præſtaret, ſæpeque uno die ægros, quos diu morbus fatigarat, ſupra expectationem levaret, certè in cauſa fuit, cur Sylvius, utique tantus vir, Vomitoria, primùm non, ut antea, aſperneret. Deinceps verò, procedente tempore, laudaret. Et, cùm ad ſcribendum animum applicuiſſet, etiam ſcriptis, quamvis uti adhuc nollet, ſummopere commendaret. Adeò mutatus illius viri animus eſt, vel potius de his rebus judicium. Cùm quidem, ante illud tempus, Margravium, juvenem tum Medicum, ac, niſi mente fallor, Sylvii quoque ipſius diſcipulum, irridere non rarò ſolitus eſſet, atque de eo ſic palam pronuntiare: *Margravius nil niſi Vomitoria ſcit præſcribere.* Scire autem convenit, Margravium in Germania natum eſſe. Indidemque credibile eſt, ipſum Vomitoria exhibendi conſuetudinem ſecum ad Batavos tranſtuliſſe. Cùm, quod alibi in juventâ didicerint, ſerò oblivisci homines ſoleant. Neque ſilentio præterire decet, cuncta quibus ille unquam uſus eſt

vomentia, cùm quidem iis quàm frequentiſſime utatur, fuiſſe ex Croco metallorum infuſo. Neque totâ ætate uſpiam fere alio, dicente ipſo, uſus eſt. Cùm tamen horum millena aliquot, ſub morbis, ipſi propinare contigerit.

XXXIII.

Venæ Sectio. Nunc tranſibo ad alia. Igitur, ſecundo loco, ſanguinis incisâ venâ detractatio, in hoc morbo tollendo, longè latéque frequentior, quàm, de quibus dixi, Vomitoria, fuit. Idque auxilium innumerabilibus perſonis præſtitum, fere omnis ætatis, & ſexûs, vix ulli eorum damno, quin etiam commodo, maximâ ex parte, fuiſſe, compertum eſt. Præcipuéque ſi, inter ipſa initia adverſæ valetudinis, ſanguis protinus emitteretur. Tunc enim vel maximum juvamen attuliſſe diligentiſſimus quiſque Medicorum animadvertere potuit. Nec, bis, terve, inciſiſſe venam, non multis quoque profuit, tantum abfuit, ut noxæ pateret. At, qui ſeriùs Medicos accerſierunt, ii paulò minus auxilii ex hoc ipſo adipiſci

conſuê-

conſuèrunt. Cùm interea, quod perpetuum fere fuit, nocumentum ex ea re nullum perſentiſcerent. Fuèreque propterea, ſi bene memini, qui dicerent (in quibus, ut opinor, erat vir clariſſimus Schachtius) progrediente quidem morbo hoc, vel potiùs conſiſtente, ſanguinis miſſionem, nec utilem omnino, nec inutilem eſſe. Eò quod neque commodum manifeſtum, neve incommodum, quod percipi poſſet, iis temporibus, adferret.

XXXIV.

Purgantia.]

Ac, tertio quidem loco, purgationes adhibitas eſſe dixiſſe, fere inutile videri poſſit, cùm vix ullus, ſine his, morbus medicum deſideret, ut nunc medicina eſt. Quocirca abunde erit ſi dixero, genus illud auxilii, & frequens hîc ſatis fuiſſe, & opem contuliſſe non parvam. Quod modò morbi tempore conveniente, & ſecundùm prudentiam Medici, & leges, quas ars hæc habet, eſſet præſtitutum. Neque à primo protinus exhibitæ purgationes nocuiſſe, verùm & utiles admodùm fuiſſe ferebantur. Talique tempore vel ſuâ

ſponte aſſumpſiſſe ægros, vel Medicos propinaſſe, utique ad ſolvendam alvum, non rarò contigit: in quibus eſſe Schachtium ſcio, cujus ego auctoritate uti in hoc opere nunquam deſinam. Huc accedere clyſteres quoque deberent, fere innocens auxilii ſpecies, niſi Hollandi ab his item refugerent, & vix niſi rarenter præcipi permitterent. Quæ cauſa eſt, cur inter initia morborum, quò ducatur alvus, ad purgationes eas, quæ molliunt, & laxant, perpetuò fere Medici confugere, eâ regione, neceſſe habeant. Verique ſimile eſt, quicumque genus hoc non amotum voluerunt, eos parum quidem minus, idem tamen auxilii, quàm alios, à purgationibus, expertos eſſe. Idque ſive à principio, ſive procedente morbi tempore, ſive aliàs uſi fuiſſent. Attamen de horum materia, nihil eſt, quod dicam. Siquidem ea communis fere eſt, & parum intereſſe ſolet, ex iis rebus, quæ Clyſteria vulgariter conſtituunt, quæ veniant in uſum. Dum tamen alvum, uti deſideratur, aptè movere poſſint.

Clyſteres.

XXXV.

XXXV.

Ab his veniendum ad ea præſidia, quæ, vehementer nunc communia, Diaphoretica vocantur. Igitur iſtorum uſus perpetuus pene fuit; neque ullo tempore intermiſſus, nec inclinante quidem morbo, niſi finito. Præcipuè verò, cùm præiviſſent illa, de quibus dixi, Venæ Sectio, alvique ductio. Ac illa quidem, hac ætate, infinita propemodum ſunt. Itaque ea ſolummodo attingam, quibus utique frequentiſſimè Cl. Schachtium, atque ejus diſcipulum Gequierum, uſos eſſe in hac invaletudine vidi. Non quin illi, & alia quamplurima, & hæc eadem, & ſimplicia, & variè permixta, laborantibus præciperent; pro natura cujusque & hominis, & ſexûs, & ætatis. Verùm quia iſthæc illa ſunt, quibus quidem hi viri præſtantiſſimi in quamplurimis, & ubicumque dabatur locus, conſtanter, & ſine mutatione, &, compertâ eorum experientiâ, omiſſis aliis rebus, multò frequentiùs uterentur. Igitur, inter omnia, quæ in hunc uſum Diaphoreticum præſcripta fuère, nul-

Diaphoretica.

la ſanè vulgariùs dictata vidimus, quàm quas appellant Hollandi mixturas. Eaſque non unâ dumtaxat, verùm Hercules variâ facultate valentes. Siquidem erant cùm primò incidentes humorum vitia, tum quoque attenuantes. Deinde corpus aperientes. Ac, poſt hæc omnia, diaphoræſim magnopere cientes. Sive ſenſibilis ea eſſet: ſive ſenſibus minimè objiceretur; quam quidem ſpeciem perſpirationem vocant. Quin etiam in bilioſis corporibus, quique vehementer vomerent, accedebat eò, quòd refrigerantes quoque eſſent, & ex temperatioribus multò rebus, quàm aliàs, compoſitæ. Pro his igitur, & hæc, & hujuſmodi, in mixturis, erant:

Mixturæ.

℞ Aq. *Meliſſ. vel Card. ben. Borrag. vel Bugloſſ. aa,* ℥ *
Cinnamon. ℥ *.
Antimon. diaphor. vel Bezoard. mineral. ℈ *.
Laud.Op. (certè in valentioribus, minimè in imbecillis) gr. *.
Sp. Nitri, vel Salis dul. gut. *.
Syr. de limon. ℥ * *vel*
Julap. roſat. &c. m.

Pro

Pro illis autem:

℞.

Aq. *Menth. Fænicul. vel Petroſel. vel interdum Sp. Cochlear. vel aquæ ejus ipſius, aa.* ℥. *.

Aq. *Vitæ Matthiol. vel Theriacal. ſimpl. vel Cinnam. vel (ſi quod peculiare vitum eſſet adjunctum) Sp. carminat. Sylvii, vel Aq. antiparal. vel antihyſter. vel antinephrit. Amſtelodamenſ.* ℥. *.

Antimon. diaphor. aut Bezoard. mineral. ℈. *.

Sp. Sal. Ammon. (quod perpetuum non erat) gutt. *.

Laud. Op. (quâ moderatione tamen ſupra poſitum eſt) gr. *.

Ol. Macis ſtillat. gutt. *.

Syr. Menth. vel Fœnicul. vel de quinque rad. vel qui ſunt hujuſmodi, ℥. *. *m.*

Ac utraque mixtura non rarò habuit Confectionem Alkerm, aut Confectionem, quæ Hyacinthorum nominatur. Maximéque in his, quibus magna ſubeſſet imbecillitas.

XXXVI.

XXXVI.

Mixturar. virtus.

Ac portiones ſingulorum nil attinet adjeciſſe, cùm illæ Sylvium legentibus clariſſimè pateant, ſi quis eſt, quod vix crediderim, inter Medicos Anglos, harum rerum ignarus. Siquidem illius viri mixturis hæ quàm maximè erant ſimiles, cujus μεθόδον & Schachtium, & Gequierum, alioſque eximiæ diſciplinæ viros, ſequi diximus. Ab his igitur auxiliis, per hos viros, principium perpetuò habuit curatio hujus mali, quodcumque genus eſſet febris. Ut multa millia mixturarum quàm ſimilium, vel potius harum earumdem, uno anno, ab iis præſcripta fuiſſe, verè poſſim dicere. Hæ vero ab ægris aſſumebantur cochleatim, ſic ut ſingula ſingulis horis cochlearia caperent. Ex qua conſuetudine capiendi factum, ut *Medicina cochlearis*, hoc tempore, mixturæ ab Hollandis appellentur, id eſt, noſtrâ linguâ, *Spoon-Phyſick*. Sed & inter initia non ſolùm, aſt tum increſcente morbo, tum ſi conſiſtebat, tum eodem inclinato, continuus hujuſce remedii erat uſus. Neque id injuriâ.

Siquidem

Siquidem ex ſententiâ Schachtii, inter remedia prope non numerabilia, *vix ullum genus eſt, cui plus fidendum.* Quam laudem dat illis, non ſolùm conſtans, ſed & frequens illarum uſus, tum verò & facilis, & jucundus. Præter artem ſummam compoſitionis, quâ quidem tot indicationibus ſerviunt ſimul. Quarum tamen auctor, ſi requiratur, næ ille creditur eſſe Sylvius. Quod ſi verum non eſt, certè is eatenus hanc opinionem ſibi vendicat, quatenus vel earum uſum Hollandos primùm edocuit, vel celebritate nominis multò frequentiorem, juxta ac faciliorem, reddidit.

XXXVII.

Hîc verò commonere debeo, ne quis fallatur; non omnia, quæ ſupra ſunt poſita, poſteriore mixturâ, perpetuò fuiſſe præſtituta. Siquidem & *aq. & ſp. Cochlear. & ſp. ſal. ammon. & ol. macis ſtillat.* Sæpius hanc mixtionem minimè ſubibant. Jam verò tum maximè adhibebantur, ubi valentius incidi, in morbis gravioribus, & attenuari humores, & aperiri corpora, oporteret.

Quæ frequentiora in illis eſſent.

ret.

ret. In levioribus, iiſdem omiſſis. Cæterum, de his, illud quoque animadvertere licuit, quoties viſum eſt illa adhibere. Ut quoniam ab origine Scorbutica prognatas haſce febres eſſe diximus, vix unquam meliùs proficerent ægri, quàm ſi illa quoque adjicerentur. Præcipuè ſiqui graviſſimis caſibus eſſent implicati. Adeò non falſa fuit illa ſuſpicio, nec utique vana opinio Cl. Schachtii, quâ Scorbuto, perniciofiſſimo malo, cuncta hæc ortum debere diceret, quin iſthæc quoque experimenta fidem facerent.

Quæ Schachtii ſuſpicionem de Scorbuto confirmarent.

XXXVIII.

De Narcoticis.

Ac, de Laudano Opiato, illud item ſcire expedit. Quoties incidit, ut vires eſſent debiles, neve huic auxilio par ægrorum robur ſupereſſe videretur, illud ex toto à Cl. Schachtio ablegatum eſſe, ac, ne per ſomnum quidem, attactum. Idemque de reliquis remediis, quæ Narcotica & habentur, & ſunt, dictum eſſe velim. Ab iis enim omnibus, præcipuéque valentioribus, utique quàm cautiſſimè, & ſemper, & ubique abſtinere ſolet. Seu imbecillitas

imbecillitas urgeat, ſeu Coma inſtet, vel quilibet alius morbus ſomnolentus, ægros opprimat. Quale quid accidit, in paucis quidem, ſed nihilominus aliquibus, ex hoc malo decumbentibus, ut periculosè nimium ſomnum caperent, nec expeditiſſimum eſſet illos excitare. Quos omnes, fere ad unum, interiiſſe conſtat. Verumtamen, ſi hæc non aderant, utique fiebat, ut Laudanum non niſi rarò omitteretur. Idque appoſite ſanè, uti mihi quidem videri ſolet. Siquidem veriſſimum id eſt, quod Wedelius, optimus author, quem ſupra quoque nominavimus, tradidit: *Opiata, & acida, reliquis* (id eſt Diaphoreticis) *maritata, virtutem ſudoriferam intendunt.* Quam ob cauſam, vix aliam, credibile eſt, Sylvium, ſummum virum, qui miſturas primùm diſcentibus à ſe reliquit, Laudanum vix unquam ſemel non admiſcuiſſe, uti ex libris patet ejus viri. Niſi ſi quando quid contrariam indicationem faceret. Niſi dicere velimus, hoc ideò ab eo factum, ob eum, quem erga Opium, & Opiata medicamenta, ſingularem, & perpetuum habuit amorem. Ut illa infinitis

Comatoſi peribant.

nitis laudibus in cœlum tolleret. Etenim præterea conſtat, ante Sylvii ætatem, Laudanum Opiatum, quàm nunc eſt, multò rarioris uſûs extitiſſe. Eumque virum, celebritate famæ, frequentiſſimóque uſu, præſtitiſſe, ut nunc, in compoſitionibus Medicis, nihil illo vulgarius legatur. Ita, quod primitus deriſui patebat, poſtea laudem, & æſtimationem meruit. Idem quippe Sylvius, dum in juventa Medicinæ artem liberaliter exerceret Amſtelodami, & Opio quàm frequentiſſimè uteretur, mirantibus id, vel potiùs ſubſannantibus, pleriſque Medicis, vix alio nomine, quàm, per convitia, *Doctor Opiatus*, appellari conſuevit. Quam ille injuriæ ſpeciem ſanè humaniter tulit. Nec idcirco à propoſito deſtitiſſe viſus eſt, donec id ipſum, procedente tempore, in laudem verteret. Ex hoc eodem genere eſt, quòd pilulas quoque de Cynogloſſo, & de Styrace, nominatas, in ingentem, uſque honorem, uſumque bene frequentem extulit. Cùm eas quidem nemo antea expeteret, &, fere oblivioni traditæ, jam prope abeſſet, ut è Pharmacopœia quoque, quæ eſt Am-

ſtelodamenſium,

ſtelodamenſium, expungendæ eſſent. Siquidem è memoriâ, atque uſu, Medicorum, jam pridem ceſſerant.

XXXIX.

Ac de miſturis quidem ſatis multa dixi. Niſi de prima quoque, quam poſui, pauca dicenda eſſent. Ergo ea compoſitio multis Medicis utique ſimplex videatur, nec tam gravi malo proportione accedens. His præcipuè, qui præſidiorum ſalutis noſtræ vim, ex multitudine potiùs, quàm virtute, rerum, compoſitioni ſubditarum, æſtimare ſolent. Verumtamen hi, quantopere decipiantur, res ipſa ſæpenumerò oſtendit. Cùm ſimpliciſſima non rarò grandes effectus præſtent, quos ne quidem quàm maximè permixta præſtitiſſe potuère. Siquidem proportio proprietatem in rebus, & accomodationem malis neſcio quam, magis ſequitur, quàm numerum. Ut res una, & ſimplex, interdum graviſſimo malo par ſit tollendo, multæ ne hilum quidem proficiant. Quæ cum ita ſint, equidem de miſtura, quam dixi, quid alii judicabunt,

Miſturæ primæ efficacia.

judicabunt, floccifaciam, quid videſim, audacter expromam. Etenim ſiqua unquam compoſitio fuit, quæ morbo alicui propria, & accomodata, diceretur, & eſſet, hæc certè talis cenſenda eſſet. Diximus, in principio hujus morbi homines pleroſque vomere vehementer ſolitos, & bilem variam, & pituitam, & alia. Ergo talibus, & illorum quidem multis millibus, offerebantur illa, quæ ſupra comprehenſa fuère. Idque inter initia mali, ſi quo pacto vomitum per ea compeſcere, ac unà febrim infringere, fas eſſet. Ac, de vomitione quidem, quantumvis magna eſſet, id affirmare jure poſſum, nihil in Medicina unquam mirabilius me vidiſſe, quàm, adverſus illam, hujuſce rei efficaciam. Ita qui animam velle agere ſub vomitu moleſtiſſimo viderentur, ſæpe intra diem, vel certè biduum, tanto malo liberatos, unicà interdum mixturâ hâc, adſpexiſſe memini. Ut de febre nihil nunc dicam, quæ, ſublato hoc ſymptomate, vix unquam pari magnitudine reſpondebat. Eâque levatâ, & ad ſomnum, propter ejus Narcoſim, ſe deduci patiebantur, & dolores, qui-

bus

bus modò caput, modò totum corpus, ſuberat, ob vim anodynam, mitigationem aliquam accipiebant. Præcipuéque, juxta præcordia anguſtiæ terribiliſſimæ, ex hoc præſidio imminui videbantur. Utique conciſis, tenuatiſque humoribus, ex quibus halitus illi fierent. Fereque, per omnia, non ſolùm rectiùs habere, verùm etiam ſpem oſtendere, videbantur ægri. Incidebat autem, ut quidam quàm graviſſimè vomentes, ac frequentiſſimè, dum nihil ſtomachus continere, ne per momentum quidem poſſet, hanc ipſam quoque commixtionem continuò refunderent. Ergo in his, quid erat auxilii? Nam cùm coërcendis vomitibus meliora vix ſuppeterent, imò nec deſignari poterant, accedebat eòdem, quòd alia nonnunquam tentata æquè citò rejicerentur. Scilicet in arte quantum poſitum ſit, vix ulla res manifeſtiùs oſtendit. Siquidem omnia cùm perinde repudiata eſſent ſtomacho, nec, aliorum hominum exemplo, non μεμίγμα, quod dixi, quàm efficaciſſimum eſſe conſtaret, recuſatur ad idem. Quique cochleare integrum, ac plenum, reti-

Ars quantum poſſit.

nere antea non valebant, his injunctum eſt, ut dimidiam tantùm portionem, aut quadrantem ejus, aſſumerent. Quid fit? Continetur optimè, nil movente ſtomacho; digeritur humor; compeſcitur ferocia fluentis; tandemque ex toto ſiſtitur vomitio. Quod neutiquam eveniebat ſine admiratione multorum, qui aderant, tantam vim ineſſe tam exiguæ materiæ potuiſſe.

X L.

Antefebrilia. Et mixturarum quidem ratio expoſita eſt. Superſunt nunc aliorum generum Diaphoretica, quibus quoque, in hoc caſu, frequentiſſimum fuit uti. Ac primum quidem locum obtinent remedia illa, quæ Antefebrilia noſtrâ tempeſtate audiunt. Quamquam & Febrifuga dicantur aliis, eâ ratione, ut mihi perſuadeo, quòd febrem abigere credantur. Sed multiplex ſpecies eſt: quocirca intra maximè uſitata conſiſtam. Incipiam à pulveribus, quandoquidem hi cùm facilioris, tum frequentioris uſûs, ſemper ſunt habiti. Ergo illi præcipiebantur, ut ex aliis, aliiſque, rebus, ſic

Pulveres.

præcipuè

præcipuè ex his quidem, quæ vel metallicæ ſunt, vel Minerales. Tale quid eſt Antimonium diaphoreticum nominatum: quod per ſe crebrius in ante febrem à Cl. Schachtio imperatum vidi. Atque hujus quoque rei uſus, quàm maximè aſſiduus, à Sylvio etiam ſuſceptus, illi viro ſapientiſſimo eſt. Adeò ut digito ſuo minimo malle ſe carere, quàm Antimonio diaphoretico, ſubinde ſoleat dicere. Quin etiam ſeſe eo annorum ſpatio, dum artem facit, ut minimum triginta, vel etiam quadraginta, librarum pondo conſumpſiſſe. Nec ſatis quidem mirari poſſe illorum hominum ignorantiam, qui huic auxilio præſtantiſſimo ſudores movendi facultatem adimunt, aliis rebus non paulò vilioribus attribuunt. Tale quid eſt Bezoardicum minerale: cujus & apud illum uſus non rariſſimus eſſe ſolet, æſtimatio pene eadem, quàm ſuperioris rei. Quæ duo, cùm per ſe præſtitui poſſint; tum verò juncta, diſpari portione, antefebrile remedium faciunt clariſſimo viro Drelincurtio, & Academiæ hornotino tempore Rectori magnifico, & Anatomes, & ſimul Praxeôs profeſ-

 ſori,

ſori, & facultatis medicæ Decano, magnopere familiare. Talia item ſunt Bezoardicum Solare, Lunare, Joviale, quæ vocant Chimici, Mercurius diaphoreticus, & quæ ſunt hujus generis. Quæ quidem aſſiduè laudare ſolet Cl. Schachtius, ideòque minùs uti, quòd fere nuſpiam venalia ſint in officinis. Ac Antimonio, vel Bezoardico, ſupra poſitis, quàm ſæpiſſimè quoque alia adjungebantur in pulveribus componendis. Vixque, niſi apud populum pretium non ferentem, ea ſola data ſunt. Itaque, ex pulveribus variè commiſtis, hic unus erat:

℞.

Antim. Diaph. gr. 6.
Sal. Prunel. gr. *.
Caphur. gr. *. *f. pulv. in vino albo, vel Gallico, vel Rhenano, aſſumend.*

Alius quod habebat:

Antim. Diaph. vel
Bezoard. Miner. gr. *.
Margar. ppat. gr. *. *f. pulv. qui eodem modo ſumatur.*

Alius,

Alius, ſed fere perſonis minimè ſplendidis, qui tribueretur, erat hujuſmodi:

℞.

Croc. opt. id eſt, Britann. gr. *.
Sal. Prunel. gr. *. *f. pulv. pari modo, qui ſumatur.*

Alius hæc habuit:

Antim. diaph. gr. *.
Sal. Abſynth.
Tartar. Vitriolot. aa. ℈. *. *f. pulv.*

Alius verò ſic componebatur:

℞.

Antim. Diaph.
Sal. Card. ben.
Tartar. Vitriolat. aa. ℈. *. *f. pulv.*

Alius his conſtabat:

Antim. Diaph.
Ocul. Cancr. aut
Marg. ppat. aa. gr. *.

*Sal. alicujus fixi. ℈. *. m. f. pulv. pari ratione propinandus.*

Item hic:

Croc. opt.
*Antim. diaph. aa. gr. *.*
*Lap. Bezoar. Orient. gr. *. f. pulv.*

Aut etiam hic:

*Lap. Bezoar. Orient. gr. *.*
*Croc. optim. gr. *. f. pulv.*

Vel, ultimo loco, qui eſt ejuſmodi:

Antim. Diaphor. vel
*Bezoard. miner. gr. *.*
*Margar. præpar. ℈. *.*
*Sal Prunel. gr. *. f. pulv.*

XLII.

Juleba. Ab his ad alia tranſitus eſt. Nec committere debemus, ut, in ſingulis percenſendis, æquè diu legentes traxiſſe videamur. Igitur, quibus ſitis moleſta, febris ardens erat, fauces aridæ, lingua vel inſignia Delphenſia præ ſe ferret,

ferret. vel ſine his notis per ſe exareſceret, ea quoque, quæ refrigerantia in primis, & humectantia ſunt, Juleba concedebantur. Ut alia verò, ſic & hæc, diverſimodæ compoſitionis fuère. Omnium tamen prope frequentiſſimum fuit hujuſmodi:

Aq. Hord.
Card. ben. aa. ℥. *.
Cinnam. ℥. *.
Sp. Vitriol. q. s. ad acorem gratum.
Syr. de limonib. ℥. *.

Quæ quidem aliter habuère, indicationem tamen habuère eamdem. Neque diverſos effectus præſtitiſſe conſtat.

XLIII.

Ac Julebis non admodum abſimiles cenſentur Emulſiones. Tametſi, in his, alia quoque obſervatio ſit nenecessaria. Etenim alieno tempore præbitæ commodum nullum, ac pro auxilio vel diem ultimum afferre poſſunt. *Vires* quippe *ægrorum obruunt*, uti iiſdem verbis non raro ſolet dicere Emulſiones.

 clariſſimus

clariſſimus ille vir Schachtius. Quo-circa ſive morbus peracutus, ſive imbecillitas ſit virium, ſive ipſe morbi fervor premat, ſive ſopor nimius, ſive alia, utique ab his curioſè abſtinendos ægros ducit. Quin id etiam & ſemper, & ubique, in conſiliis inculcandum diſcentibus, quatenus diligenter circumſpicere tempora velint commoda potiones emulſas propinandi. Nullam rem in morbis, quales dixi, acutis, pernicioſiorem; nullam, opportunis temporibus utiliorem eſſe. Opportunum verò tempus eſt, ſi morbus ſe remittere, ſi concocta eſt urina, ſi reſici æger inceperit. Unde ſcire licet, reliquiis extinguendis febrium acutiſſimarum, & præfractis harum viribus hoc genus potius convenire, quàm quidem integris, vel etiamnum increſcentibus. His ita dictis, adjiciendum eſt, emulſas aquas potui datas in hoc malo frequentes. Satis fuiſſe. Ægróſque ab his nihilò minùs proficere ſolitos, quàm aliis quidem rebus, quas poſui. Ut etiam atque etiam repeterent. Ac in harum compoſitionem maximâ ex parte veniebant iſthæc:

Hord.

Hord. Mund. & adcrepat. coct. ℥. *.
Sem. Papav. alb. ℨ. *.
Amygd. dul. vel
Sem. IV. frig. major. ℨ. *. *Cum*
Aq. hord. f. ſ. a. Emulſio ad ℥. *. *addendo colaturæ.*
A. Cinnam. *. *.
Syr. Papav. alb. vel
Julap. roſat. ℥. *. *m.*

At verò Cl. Schachtius ſic paulò aliliter ſolet præſcribere. Maximéque ubi Noſocomicis aliquid adhibendum eſt:

℞.

Emulſion. noſtr. ℥. *. *adjiciendo:*
Aq. Cinnam. ℥. *.
Syr. Violac. vel cæterorum, quæ dixi. ℥. *. *f. Emulſio.*

Scire autem convenit, ipſius Emulſionem, duobus duntaxat conſtare, hordeo cocto, donec crepat, & ſemine Papav. albi. Idque ipſum ſuam Emulſionem vocat. Neque, aut dulces amygdalæ, aut frigida ſemina, niſi perrarò, illi curæ quidem ſunt.

XLIII.

Atque iis præſtitis, quæ mihi dicta ſunt hactenus, ſi malum invictum ſe præbuit, vel humor aliquis, unus, pluréſve, pertinaciùs auxiliis obſtitiſſent, commodiſſimè & id genus offerebatur, quod Græcis Apozema, Latinis Decoctio dici conſuevit. Igitur, ex toto cenſu Apozematum, vix ullum puto familiariùs ad uſum veniſſe tum Cl. Schachtio, tum Gequiero, profligando huic malo, quàm inſequens:

Apozemata.

Rad. *Scorzoner.*
Petaſitid. aa. *.
Herb. *Borragin.*
Bugloſſ. aa. *.
Sem. *Aquileg.*
Card. ben. aa. *.
Cort. *Limon.*
Arantior. aa. *. *vel interdum*
Limon. integr. in taleolas diſciſſ.
Raſur. C. C. *.

Quibus decoctis, ut ars habet, adjiciebantur varia, vel

Aq. Prophylact. Amſtelodamenſ. vel
Cinnamom. vel
Theriacal. ſimpl. vel aliæ.

Deinde,

Deinde, *vel Julap. Roſat. vel*
Syr. Borrag. vel
Menth. vel
v. rad. aperient. vel
De Cich. ſimpl. vel etiam magis,
De Cich. cum Rheo.

Si modò, quæ purgantia ſunt mallent adjungere. Quod ſi ita eſſet, inter ea, quæ ſupra ſunt, aut folia, quæ vocant, Orientalia, aut Aloë lucida, aut alia quælibet purgantia præſidia, maximéque leviſſima, veniebant. Neque ea ſolùm, ſed, cùm iis, Cremor Tartar. aut Tartarus Vitriolatus dictus. Atque his rebus, utique non expeditiſſimum dictu eſt, quantopere morbus cedere ſolitus eſt. Ut neque, quàm nullis remediis ægri minori momento proficerent. Reliquum eſt, ut dicam, quoties incidit, ut morbus in longitudinem abiret, aut mutationem faceret in eas febres, quæ intermittere conſuère, quoniam pertinaci cum hoſte tunc res gereretur, ſupra hæc, quæ proximè ſunt poſita, alia quoque Apozemata ex iis rebus, quæ & incidunt, & attenuant, & aperiunt, & reſolvunt, non raró adhibita fuiſſe.

Qualia

Qualia hic quoque commemorarem, niſi tædio futurus eſſem. Erant autem ea omnino valentiſſima.

XLIV.

Boli. Aſt, inter diaphoreſim moventia, prope omiſſum à me erat de Bolis dicere. Quibus utique vix aliquid vulgarius in horas febrem præeuntes exhibitum conſtat. Ex his aliquem ingeſſiſſe, ante acceſſionem, ſæpe pro curatione totius febris fuit. Nam neque invalidum hoc genus antefebrile eſt, neve unquam, in hoc caſu, non magnum momentum, ac pondus, habuit. Eorum itaque confectio, quibus quàm frequentiſſimè uſi ſunt, ex his conſtabat:

Rob. Sambuc. *.
Antim. Diaph. *.
Lap. Prunell. *. *m. f. bol.*

Alius ſic ſe habebat:

Diaſc. Fracaſt. ℨ. *.
Rob Sambuc. ℈. *.
Antim. diaph. gr. *.

Marg.

Marg. pp. gr. *.

Alius vero ſic:

Diaſc. Fracaſt. *.
Antimon. Diaph.
Sal. Card. ben. aa. *.
Sp. Sal. gutt. *. *m. f. bol.*

Alius item ſic:

Diaſc. Fracaſt. *.
Corall. rub. ppat.
Sal. Prunel. aa. *
Sp. Sal. *, *m. f. bol.*

Quorſum plures? Cùm hos maximè vulgares repererim. Ex his apparet, Bolorum baſim, ſic enim idonei auctores noviſſimè loquuntur, aut Rob, quod dictum eſt, aut Diaſcordium fere fuiſſe. Quibus duo, vel tria, id eſt, Antimonium diaphoreticum, & Lap. Prunellæ, pene omni tempore commiſcebantur. Ideoque Diaſcordium Sylvii, quod creberrimi usûs eſſe conſtat in Hollandia, minùs in horum medicamentorum compoſitionem adſcitum eſſe puto, quòd plurimum in ſe

ſe contineat Opii. A quo in hac febri, ex toto fere abſtinuiſſe authores, quorum hæc acta ſunt, jam ſupra diximus. Neque enim inter utrumque aliud diſcrimen ſubeſſe ſtatuunt, quoad quidem praxeôs animadverſionem, quàm ex Opio. Quam ob cauſam, medicamentum etiam Sylvianum, minori multò portione, præcipere convenit, quàm quod eſt Fracaſtorii.

X L V.

Potiones, ſive hauſtus.

Cùm bolorum genera propoſuerim, ſupereſt etiam nunc, ut potiones adjungam. Quæ quoque in tempus, quod ante febrem cedebat, ſatis frequenter ſunt præſtita. Seligam verò paucas: & in his, quas notavi maximè fuiſſe efficaces, ideòque ampliſſimi usûs. Itaque ex his nullam crebriùs propinatam vidimus, quàm quæ inſequitur:

℞.

Aq. Theriacal. ſimpl.
Cinnam. vel
Vitæ Matthiol. vel

alterius

alterius aq. ſpirituoſ. aa. *.

Aq. *Card. ben. vel*
Fumar. vel
Petroſelin. vel
Menth. vel Fœnic. *.
Antim. diaph. vel
Bezoard. mineral. vel
Metallic. alicuj. *.
Sal. *Abſynth. vel*
Card. ben. vel
alterius fixi.
Sp. *Sal. Ammon.* *.
Sp. *Sulph. p. camp. vel*
Nitri, vel
Salis vel
Vitriol. dul. *.
Ol. *Macis ſtillat. vel*
Gariophyllor. *.
Syr. *Menth. vel*
v. rad. aper. vel
Limon. vel
Card. ben. vel
alterius. q. s. m. f. hauſtus.

Interdum verò hæc:

Sal. *Prunel, gr.* *.
Aq. *Cinnam.* ℥. *.
Card. ben. q. f.

Julap.

Julap. Roſat. vel
Sacch. q. ſ m. f. hauſtus.

Complectitur autem ſuperior compoſitio, quæ primo loco eſt poſita, potiones bene multas. Siquidem univerſa interdum, quæ ibi ſunt, in unum veniebant: interdum ex his pauca; interdum hoc in vicem alterius, interdum illud, præcipere juvabat. Optima quæque potio, eaque valentiſſima, cuncta ſimul adſciſcebat. Quâ quidem contumax febrium genus, quod cottidie, vel altero quoque die, revertitur, ſæpe loco detruſum, vel certè viribus imminutum vidimus. Ex quo ſcire licet, febribus iis, quæ circuitum habent, hanc ſpeciem opportuniſſimam eſſe. Ideoque fere his adhibitam fuiſſe, in hoc caſu.

XLVI.

Atque his auxiliis, quæ retuli, utique conſtanter, adverſus morbum pugnatum eſt. Neque interea omnibus in uno; neque modo planè eodem; neque ſine his fere in ullo homine, ſed & pro morbi magnitudine, & pro

pro ætate, & corpore, & vitæ propoſito, & morbi tempore, & cæteris rebus, quæ aliquid indicant, variè permixtis. Perpetuum verò fuit, ut ab his formulis quàm minimè recederent, quamdiu res pateretur. Modò vero affectus pauciſſimi ſunt cogniti, in quibus quidem auxilia, aut auxiliorum formulas, minùs mutare neceſſe eſſet. Quæ cùm ita ſint, ſanè id etiam colligere oportebit, ſymptomatis quoque, quò mitiora fierent, curioſè proſpectum fuiſſe à prudentibus viris. Ergo etiam quoties quid tale erat, ſive vigiliæ, ſive ſitis, ſive dolor, ſive aliud, eoque urgeri ſeſe ægri confiterentur, protinus illius quoque ratio eſt habita. Verumtamen illorum omnium remedia proponere, quibus quodque mitigatum fuit, eatenus ſupervacuum videri poteſt, quatenus hujus morbi, & aliorum, ut ſymptomata, ſic item communia horum præſidia, fuère. Neque ulla res magis brevitatem offenderet, adverſus quam utique ne quid jam à me commiſſum ſit, verendum eſt. Quid quòd in monumentis optimorum authorum, præcipuéque Sylvianis, ſatis multa his quàm

Symptomatum mitigatio.

ſimillima memoriæ prodita ſunt.

XLVII.

Aphthæ: His itaque omiſſis, de Aphthis dumtaxat breviter proponam. Ergo etiam adverſus has, in Emulſionibus auxilium erat, fere quales ſupra ſunt poſitæ, præſentaneum. Item in Syrupis, maximéque, qui emolliunt, ſimulque etiam leniter detergunt, ut puta, Viol. Jujubin. de Althæa Fernel. & qui ſunt ſimiles. Rurſus, in ſero lactis, ſive per ſe id præſtitum eſſet, ſive parum Sacchari candi adjectum eſſet. Quocirca & hæc omnia in præſcriptis data ſunt; & tamen his multò frequentiùs, quod inſequitur, quod longè optimum eſſe experiundo patuit.

℞.

Aq. Roſac. ℥. *.
Vitell. Ovor. n°. *.
Sacchar. cand. vel
Finiſſim. q. s. ad gratiam. Bene commixta, & conquaſſata, dentur uſui. Illoque ſæpe os ſubluatur.

Quòd

Quòd ſi, ê roſis, aqua non eſt, vel pluviâ, vel fontanâ, uti quis poteſt.

XLVIII.

Dixi, de universâ morbi curatione, quæ auxilia præcipuè, quæque quàm ſæpiſſimè, ordinata ſunt. Modò malum cujuſcumque febris ſpeciem ſubiret, ſive continua eſſet, ſive cottidiana, ſive tertiana, ſive alia. Siquidem febrium nullum genus erat, ſub quo hunc morbum non infeſtum fuiſſe ſcimus. Ab initio enim, id eſt, primis menſibus, tertianæ pleroſque invaſerunt. Deinde, progrediente ſpatio, cùm morbi vigor eſſet, continuæ febres. Rurſuſque, inclinante jam malo, vel tertianæ plurimos malè habuère, vel cottidianæ, Vel tandem aliquando deſciri cœpit in quartanas. Ac, de his, quoniam pollicitus ſum dicere, nunc quoque paucis complectar. Itaque febribus quartanis ex hoc morbo natis, nullæ unquam, ut puto, difficiliùs curationem receperunt. Cæterum & id ipſum à me, & quatenus illæ medicorum curis obſiſterent, & quâ ratione quodam

Morbi circumvolutio.

De Quartanis.

dam modo parerent, jam dictum eſt in ſuperioribus. Reliquum eſt, ut adjungam, quæ maximè pro auxilio ſint adhibita, &, in his, quæ precipuè ſubvenire viſa. Ergo etiam, cùm humores quartanam moventes omnium tenaciſſimos, vehementerque viſcidos, glutinis modo, eſſe conſtet, ante omnia hi & incidendi, &; quantum fieri potuit, attenuandi erant. Inſuper auxiliis cuique humori contrariis eos ipſos corrigere, paulatimque ad Syſtaſim, æqualemque miſcelam, deduci oportuit.

XLIX.

Illarum Curatio.

Ejus rei causâ, quod commodiſſimum erat, ſæpe miſtura ſupra conſcripta, quam primo loco propoſui, inter initia oblata eſt, utpote quæ vehemens ad humores tenuandos eſt. Deinde, interpoſito tempore aliquo, purgatione utebantur. Eaque iterum, atque iterum, toto morbi ſpatio, ſæpiſſimè fiebat. Fereque ſexto, vel ſeptimò quoque die, purgare in conſetudine fuit. Ab initio quidem levius, poſtea paulò vehementiùs. Medicamenta autem

autem erant ex his, quæ & atram quidem bilem, & phlegma, vel etiam ſerum, vel utrumque, ſimul citant. Formulæ verò pilularum potiores habitæ, propter hyemem. Atque his minùs præſtantibus, maturè ad alia tranſitus eſſe conſuevit. Itaque tum vel Apozemata, vel Vina, quæ vocantur, Medicata, utique propoſitis à me indicationibus quàm aptiſſima, præcipiebantur. Illorum compoſitio talis fere fuit:

℞.

Rad. Gentian. Irid. Flor.
Apii, & Leviſtic. aa. *.
Herb. Fumar. Card. ben.
Eupator. aquat. Trifol. aquat. ana *.
Baccar. Laur. Juniper. aa. *.
Sem. Naſturt. vulg. Angelic. aa. *.
Cremor. Tartar. vel
Tartar. Vitriol. aa. *. *Coq. s. a. ex Vino, vel aq. purâ (pro egenis) Col.* ℥. *XXV. addendo:*
Aq. Vitæ Matthiol. vel
Theriacal. ſimpl. ℥. *.
Sp. Sal. Ammon. *:

Syr. Menth. vel
de Abſynth. *. *m. f. Apozema.*

In quam quoque compoſitionem ſæpe quinque radices, quæ aperiunt, ſæpe Centaur. minus, ſæpe lignum Guajaci, ſæpe Raphani ruſticani ſemen, ſæpe Sal Ammoniacum, ſæpe Sal Abſynthii, ſæpe alia veniebant. Verumtamen à quibus idem munus præſtare non alienum eſſet. Hujus autem medicamenti tædio exorto, uti fieri ſolet, ſæpe in vicem ejus Conditum tribui ſolitum, quod quidem ſic habuit:

℞.

Conſerv. Menth.
Abſynth. Rom. aa. *.
Rad. Helenii,
Acori conditar. aa. *.
Zinziber. condit. *.
Pulv. Cardamom. min.
Piper. long. aa. *.
Tartar. Vitriolat. *.
Elix. Propr. Paracel. q. s. m. f. Conditum.

Vel

Vel, quod illi, & confectione, & facultatibus, ſubſimile erat:

℞.

Conſerv. Menth. Majoran. aa. *.
Rad. Acor.
Zinzib. condit. aa. *.
Cort. Arantior. condit. *.
Pulv. Cardam. min.
Cubebar. aa. *.
Pulv. Gariophyl. *.
Ol. Macis ſtillat. *.
Elix. Ppr. Par. *. *m. f. conditum.*

Quinetiam ſæpe, id expetentibus ægrotis, quo mitius eſſet tædium, ex herbis Sancti Juriani Tinctura, ut Chimici appellant, adjudicata eſt. Id genus auxilii Hollandis notiſſimum eſt, mihi ratio nominis æquè ignota eſt. Confectio verò talis eſt:

℞.

Herb. Card. ben.
Eupator. aquat.
Abſynth. aa. m.ß. ad. j.
Rad. Ariſtol. fabac. ℥ *vj.*
Baccar. Laur. ℥. *iij.*

Aloës lucid. vel
Hepatic. ʒ. *ij. ad* ℥ ß.
Cort. Arantior. ʒ. *ij. Conciſis, contuſiſque, affunde Sp. Vin. rectif. q. s. ad ſupereminentiam. dig. iv. Digerantur ad focum, vel in cineribus calidis. Doſ. cochl. j. aut ij. bis, aut ter, in die.*

L.

Vina medicata præfert. Schacht.

Inter hæc verò in Vinis medicatis longè maxima ſpes erat. Eamque ſpeciem compoſitionis, in quartana, quo infeſtus humor, in quo nox corpori eſt, quamprimùm ſubigatur, cæteris ante à me dictis, facile præponere ſolet Cl. Schachtius. Ergo etiam idem harum febrium pertinaciam miratus, Vino ſæpe tali utendum ſibi duxit:

℞.

Rad. Helen.
Zedoar.
Ariſtol. rot. aa. ✱.
Rad. Acor.
Angelic. aa. ✱.
Summit. Abſynth.

Centaur.

Centaur. min.
*Eupator. aquat. aa. *.*
Herb. Menth.
Majoram.
*Cuſcut. aa. *.*
*Fol. Laur. *.*
Cort. Arantior.
*Limon. aa. *.*
*Limatur. chalyb. in nodulo lig. *. m. conciſa, & confracta, dentur in nodulo. Cui ſuperaffunde Vin. alb. Gall. optim. pint. vj. Doſ. ℥. jv. bis, terve, ad minimum in die.*

Interdum verò ejuſmodi:

℞.

Rad. Helen. Galang.
Zedoar.
*Acor. aa. *.*
Summit. Abſynth.
*Cent. min. a. *.*
Herb. Menth.
Majoran.
*Roriſmar. aa. *.*
Cort. Arantior.
*Limon. aa. *.*

Limatur.

Limatur. Chalyb. in nodo, vel, ejus loco, Tartar. Vitriol. ✱. *Conciſa & confracta, dentur in nodulo. Cui ſuperaffunde, ut ſupra. Doſ. eadem. Quâcum ſi ſumatur Sal. Abſynth. vel Tartar. Vitriolat.* ℈. *j. ad* ʒ. *j. medicamentum exiſtet valentiſſimum.*

Atque his, vel illis, medicamentis ſuprapoſitis, ex facili ſymptomata miteſcere, per urinam concoctionis ſigna ſe oſtendere, ipſaque febris vel tardiùs hominem adoriri, vel multò admodum leniùs, conſuevit. Raròque fiebat, per hæc, ne vis frigoris, quantacumque ingens incubuiſſet, & maxima, aut extingui, aut plurimum ex eo minuiſſe, videretur. Eaque, cùm non ita longo ſpatio evenirent, ſcire licuit, febrim vinci poſſe. Quinimò jam prope ad incitas redactam ſpem deditionis facere.

L I.

Antefebrilia in quartana adhibita.

Quibus exploratis, maximéque bonis ſignis circa urinam perceptis, etiam iis, quæ præceſſerant, alia quoque

que auxilia adjungebantur, in Antefebrilibus poſita. Quocirca, dimiſſa nequaquam conſuetudine eorum, quæ dixi, quoties circuitus erat morbi, & ea præſtabantur, quæ ſummis facultatibus valere adverſus febres comperta ſunt, quæque binis horis ante acceſſum aſſumenda ſunt. Horum genera quamvis innumerabilia prope fuerint, ex iis nihilominùs eligere me decet pauca quædam non inutilia, quibus hanc quoque partem curationis exornem. Itaque, in hoc genere, præſidium modò valentiſſimum erat, quod ſupra poſui, hauſtumque appellavi. Idque ex iis rebus, quæ inibi ſunt, aut omnibus, aut etiam paucis, compoſitum, & ſemper, & ubique, nobiliſſimum præſtitit uſum. Ut ſi non ex toto intercidere malum, certè elanguere ex eo, aut ſubinde intermori, videretur. Opus autem erat iterato: quod ubi de hoc dixero, de omnibus æquè intelligendum eſſe jubeo. Hauſtibus ante febrem proximum auxilium erat in pulveribus aut mineralibus, aut metallicis. Ii quoque ſupra ſunt comprehenſi. Niſi quòd, in his, delectus erat quorumque valentiſſimorum. Etiamque

que his acceſſêre alii ad febrem diſcutiendam non minùs præcipui. Siquidem, quò longius id mali erat, eò plura, magiſque conquiſita tentari neceſſe fuit. Ergo etiam alius hæc habuit:

Pulv. *Rad. Galang.*
Acori.
Zedoar. aa. ℈. *.
Pulv. *Rad. Zinzib. gr.* *.
Sal. *Abſynth.* ℈. * *. m. f. pulv.*

Alius verò hæc:

℞.

Sem. *Apii pulveriz.* ʒ. *.
Detur uſui Sumaturque cum cyatho vini calidi.

Tertius ea, quæ inſequuntur. Qui quidem ad authorem refertur Chirurgum Caſimiri Regis Poloniæ, inter monumenta Germanorum Ephemerides dicta. Idque auxilium, noſtro ſæculo, pro myſterio æſtimatum eſt; tametſi ille plura adjiciebat:

℞.

℞.

Nuc. Moſcat. leviter aſſat. n. j.
Alumin. vulgar. gr. viij. *m. f. pulv. ſimili modo præbend.*

Præter hæc Sal quoque febrifugum cognominatum, quod Sylvii auctoris eſt, non ſemel & per ſe, & aliis rebus adjectum, uſui ante febrem tributum eſt. Sæpe enim incidit, aut apud Chymicos, aut Pharmacopæos, ut Sal iſthoc venale ſit in Hollandia. Neque laudem poſtremam adeptus eſt pulvis Cornachini dictus. Quem quoque *trium Diabolorum*, ridiculo ſæpe nomine, ſunt qui appellent. Id nobiliſſimum creditur ante acceſſionis tempus remedium. Verumtamen opportuno tempore exhibitum. Itaque placuit eo crebriùs conturbare febres, ac, ſi fieri poſſet, ex eo ſtatu movere, in quo hærebant. Et res quidem in his perſonis variè, in illis optimè reſpondit.

L I I.

Gentian. rad.

Quinetiam ſæpe Gentianæ radix per ſe, ſæpe aliis quoque ſimplicibus compoſita, ex vino propinata ægris eſt. Huic radici plurimum antiqui Medici in eâ regione tribuerunt. Nec minori præſidio adverſus febres ferebatur, quàm nunc Hiſpani, vel Itali, Chinam Chinam eſſe ducunt. Quapropter cùm laus ejus rei nondum exolevit, ac integra potius, magiſque apud populum, etiamnum maneat, illam frequenter adhibere vult clariſſimus vir Schachtius. Neque id ſolùm; ſed nonnunquam ex eâ re *Chinam Chinam factitiam*, ſic enim vocare conſuevit, apud populum tentare. Ea compoſitio, ut opinor, ab eodem lectiſſimo viro reperta eſt; & multum, ſi quid aliud, ad febrem abigendam poteſt. Adeo, ubi China China vera non eſt, ut ea, quæ falſa eſt, vix minorem uſum præſtet. Attamen id genus & variè componitur ab eo, & ſubinde aliis, aliiſque, rebus admiſcetur. Sed ejus quidem rationem, ut edoceam, nunc non committam. De China China vera potius

China China factitia.

China China vera.

potius dici convenit, hanc quoque Schachtium, per eos menſes, variè attigiſſe. Hæcque ſubinde ſola data eſt; ſubinde aliis rebus adjectis, quæ propriè febres tollunt. Frequentiſſimumque fuit, cum radice, quæ ſupra poſita eſt, hanc quoque committere, quò magis illa duo evincerent. Nec miſturæ varietas defuit, tametſi pauca ſint, in quibus hæc aliquid novat. Ita prout quiſque jucundiùs aſſumpſerat, aliud atque aliud genus formularum China China habuit. Compertùm eſt, vero quam minimè aliena eſſe, quæcumque de hoc medicamento idonei auctores tradiderunt. Adeo nec injuriis, quibus illud afficitur, credere, nec curare has Cl. Schachtius, ideoque etiam atque etiam ridere ſolet. Eſt tamen idem auctor, ut bene puris purgatiſque corporibus, hoc genus adhibeatur. Id ubi eſt, Sydenhamii, ſummi viri, diſciplinam, velut optimam, probandam ait. Is enim non his ſolùm diebus, quibus febris eſt, verùm & illis, qui intercedunt, id annitendum cenſet, quò ille cortex ſanguine penitius combibatur. Itaque eam rationem cùm adhibuiſſet Leydæ, quoſdam

dam à ſe fœliciter ad ſanitatem perductos fuiſſe, idque adultâ hyeme, idem Cl. Schachtius confiteri ſolitus eſt. Quæ cùm ille in primis, itemque alia documenta, in eo libro, permulta laudaret, de eo quidem apud Academicos ſic pronuntiare non dubitabat: *Legite Sydenhamium; auctor eſt, quo carere non poteſtis.* Ea quoque ratio tentata in Noſocomio ſatis promptè reſpondiſſe viſa eſt.

Syndenhamii laus.

LIII.

Alia experimenta.

Verumtamen, dum in his eſſet Schachtius, neque dum omnes, qui quartanâ detinebantur ad ſanitatem perveniſſent, juvit in his quoque alia experta facere. Circumferebatur quippe in rumoribus, quemdam eſſe, per id tempus, Medicum Hagæ Comitis, qui quartanas non ſolùm, verùm etiam quaslibet febres, & novo, & ignoto, medicamenti genere, quàm leviſſimo negotio tolleret. Iſque, ubi aliquis ex eo quæreret, unde inſolitum auxilium ad nos attuliſſet, profiteri ſolitus eſt, ſe neque peregrino, neque conquiſito, medicamento uti: verùm id ipſum, quicquid eſſet in

in Sylvâ Hagianâ non difficillimè ab omnibus comparari poſſe. Quid tandem? Cùm multa inibi quercus, multa fraxinus abunde exoriatur, adductus eſt ſuſpicione Schachtius, ut iſlarum arborum cortices, ſi quid poſſent in febribus, experimentis dignum judicaret. Itaque, ex his utrumque, ſæpius ante febres, eâ ratione utendum obtulit, quâ Chinâ quidem uti conſuêrunt. Præter hæc, cùm Album quoque Græcum ad eas res pertineret, quæ in ſylva ſupra poſitâ copiosè colliguntur, utique illius etiam periculum facere non alienum cenſuit. In his quid evenit? Sanè uſu cognitum eſt, trium rerum, quas dixi, quam libet adverſus febres, medicamentum eſſe nobiliſſimum. Siquidem & nunc graviſſimis caſibus opitulatæ ſunt, &, extra hos, rectè aliis quoque febricitantibus dari poſſe, ratio docere poteſt. Sic autem opem contuliſſe videbantur, veluti China China, & Gentiana, & cætera, quæ propoſui. Ut ſi quartanam viribus orbaſſent, aut etiam ex toto abegiſſent, illa interpoſito ſpatio, recurreret nihilominùs. Dixi enim ſemel, niſi incli-

natâ hyeme, ne unam quidem ex his, ob pervicaciam ſingularem, ſubmoveri potuiſſe, id eſt, perfectè ad ſanitatem perduci. Cùm interea medicamentorum viribus vix minùs obtemperarent, quàm quæ ſunt leviſſimæ, & cottidie receſſionem ſponderent. Quidam tamen ex his hominibus fuêre, qui finitâ nondum hyeme, maturrimè ante veris tempeſtatem, & ſecuritatem, & bona valetudinis, recuperarunt. Quidam, qui ob errores commiſſos, vix aliâ de causâ, manifeſtè retro lapſi fuêre. Alioqui ſalus his æquè expedita fuiſſet, ac de quibus dixi. Hoſque tandem ſuo, non alieno ſcelere, diutiùs à quartana detineri contigit. Appoſitè enim Celſus: *Si febris quievit, diu meminiſſe ejus diei convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem. Facile enim revertitur, niſi à ſano quoque aliquamdiu timetur.* Ac de quartanis hæc hactenus.

FINIS.

DE eodem Morbo Epidemico Clariſſimi, & ſapientiſſimi, Viri, Domini Lucæ Schacht, Inſtitutionum Medicinæ, ſimulque Praxeôs, in Academia Lugduno-Batavâ, Profeſſoris celeberrimi: Academicorum juvenum ad praxim erga ægros faciendam, in Xenodochio ejuſdem urbis, Manuductoris præſtantiſſimi: tandemque facultatis, Collegiique Chirurgici, quod apud Leydenſes eſt, & Præſidis, & Examinatoris ornatiſſimi: fœliciſſimi ſæculi noſtri, in arte Medicâ, Practici, ad auctorem Epiſtolica narratio, ſanè quàm doctiſſima.

D.

Chriſtophoro Love Morlæo S. P. D. Lucas Schacht.

IMportunis omnino precibus à te rogatum ais, V. Cl. ut has ad me litteras dares: pro quibus ut gratias habeo maximas, ita te obnixè rogo ut ab ulteriori excuſatione, & cæremoniis, porro abſtineas, à quibus animum meum eſſe alieniſſimum jam dudum perſpectum eſt tibi.

Gaudeo autem eſſe inter veſtros, qui de morbo ſuperioris anni, qui tam graviter & veſtras, & noſtras, regiones afflixit, tractatum meditetur: tum quod universè (veluti noviſti) omnium hodiernorum veſtrorum Medicorum cogitationes de morbis plurimi ſemper æſtimavi, in ſpecie verò eorum, qui in Societatem Medicam merito ſuo inſcripti ſunt; tum quòd materia ipſa digna eſt, quæ in commune omnium bonum rite examinetur. Quandoquidem hujus fere naturæ morbus, ſed non ſemper ſub eodem ſymptomatum apparatu, ſæpius jam hæc loca infeſtat, veluti hujus rei teſtis eſſe poteſt annus 1666, 1667, de cujus anni morbo pluribus videri poteſt ὁ μακαρίτης D. D. Sylvius, piæ memoriæ,

moriæ, 1668, 1669. & jam proximè elapſus annus 1678, & 1679.

Quæ verò cauſa ſit, quòd Vir ille Clariſſimus, unàque cum eo Viri alii eruditiſſimi, meum de hoc morbo judicium expoſtulent, ego qui illis hactenus ignotus vixi, & me meo menſurare pede ſolitus latitare ſtudeo, vix percipio, niſi tu V. Cl. (forte ex nimio amore mei) plura de me finxeris, quàm verè affirmaveris.

Itaque mihi diffiſus, qui hactenus animum à ſcribendo averſum habeo, maluiſſem à labore illo ſuperſedere, & ſecurus poſt principia latere, aliorumque cogitata potius rimari, atque admirari, quàm mea propalare.

Quando tamen tibi aliquid à me petenti negare hactenus religio fuit, & nunc eadem ſtat ſententia menti, & nunc hiſtoria potius hujus morbi, quàm adornatum, elegans, & longè petitis demonſtrationibus ſuffultum de eo ratiocinium, requiratur, morem tibi, reliquiſque meis diſcipulis amicis, licet reluctante, trepidoque animo, geſtam.

Quam Hiſtoriam dum aggredior, præmonebo in anteceſſum, me defectu

Amanuenſis, quem hoc tempore valde exoptabam, negotiorum autem mole oppreſſum (noviſti enim occupationes, & labores meos) in Diaria congerere nihil quicquam potuiſſe; adeòque omnia, quæ hîc narrantur, ſolummodò ab evolutâ, excuſſâque, quantâ potui, diligentiâ, memoriâ, repetita eſſe.

Facile itaque condonabis, ſi quid fortean omiſſum, aut ſuo non poſitum loco obſervabis, neque enim tam fœlix mihi, ut olim, nunc ſeneſcenti memoria eſt, ut omnium præteritorum tenax, fideliter meminiſſe poſſim.

Allaboravi tamen, nihil ut referrem, quod non obſervaverim: malens, ubi incertus eram, aliquid omittere, quàm temerè aliquid referre, cujus malè relati à pluribus poſſem redargui.

Ut itaque rem ipſam aggrediar, primùm dicam, varia mihi hujus morbi futuri ſuſpicionem, jam incipiente vere, injeciſſe, uti

1. Morbum prioris anni, qui poſtea huic morbo noſtro non valde ab-

ſimilis fuit, à quo nonnulli adhuc infirmi, atque imbecilles erant.

2. Ventos perpetuò manentês eoſdem, uti priori non tantùm anno, ſed jam integro ferme biennio, & ampliùs. Fuère autem illi præcipuè Boreales, modò ad Orientem, modò ad Occidentem verſi.

3. Frequentem, & graviorem ubique graſſantem Scorbutum, declinante vix dum Hyeme, aut jam incipiente Vere.

4. Sanguinem, quem licuit videre, plurium hominum planè Scorbuticum, & corruptum, hoc eſt, diſſolutum, fluidum, nigricantem, grumoſum, ſupernatante pellicu lâ ſeroſo-pituitosâ, per quam inæqualiter mixtus tranſparebat ſanguis.

5. Inſolita quædam in morbis, tunc ſparſis, ſymptomata, & ordinariam quamdam à communi morborum illorum genio deviationem. Nam cùm vel antea ſæpius obſervaſſem, iſthæc ſigna communes quoſdam morbos de-

notaſſe, ex his protinus in eam opinionem incidi (meminiſti enim ipſe, neque hæc tibi, tam ſubitò excidere potuère) ſimile quid denuò nobis imminere: quem juſtum meum metum (ut eventus poſtea docuit) diſcipulis meis expoſui, & (quod fortuito potius cauſarum concurſui, quàm meo judicio adſcribo) qualis ferme futurus eſſet, deſcripſi.

Tranſiit interea Ver, nullo, excepto, ut dictum, Scorbuto, graviori morbo notabile: duravitque ea noſtratium fœlicitas ad medium circiter menſem Auguſtum.

Eo tempore cùm fortè Hornæ eſſem (urbs eſt in Hollandia Boreali) unà cum uxore, & unâ filiarum mearum, audio ex diſcipulorum meorum aliquo, fœliciter ibi Praxin faciente, jam ab unâ, alterâque ſeptimanâ, morbum ibidem quendam Epidemicum, & inuſitatum, graviter in plures ſine diſcrimine vagari: In cujus rei fidem affirmabat ſe jam quindecim (erat autem ille junior adhuc medicus) ante meridiem ægros ab hoc morbo laborantes viſitaſſe, & plures à meridie viſitaturum.

Motus

Motus hoc nunico, ut civibus Lugdunenſibus adeſſem, iter animi relaxandi causâ ſuſceptum accelero, domumque revertor.

Quò cùm perveni, vel poſtridie ſtatim animadverti, etiam hîc loci eundem morbum in nervum erumpere, pluresque communiter corripere, præſertim ephebis egreſſos, aut jam grandævioꝛes.

Mitis autem in principio morbus videbatur, adeò nulla inuſitata hactenus in eo ſymptomata apparebant: mentiebaturque ordinariò tertianam intermittentem ſimplicem, aut duplicem, ſed rariùs. In initio ſui qualis apparuerit.

Frigus hoc tempore in acceſſu parvum erat, & in quibuſdam nullum: eo recedente ſequebatur nauſea, & vomitus, modò bilioſus, modò pituitoſus, modò mixtus: & bilioſus quidem hoc tempore magis bilis Vitellinæ, quàm alterius: & poſt ea calor, ut in tertianis legitimis ferè paulò acrior, cum ſiti, dolore capitis, & ſimilibus hiſce febribus familiàriſſimis Phænomenis.

Nec difficilis tunc temporis, aut tarda ejus curatio. Nam humoribus

vitioſis

vitioſis leviter alteratis, & evacuatis, corporeque præparato, vel vulgari aliquo medicamento ſudorifico, duas horas ante Paroxiſmum exhibito, facile, integrèque ſolvebatur.

Sed id tamen peculiare in eo obſervabam, quòd qui ab illo curati videbantur non tantùm, ſed reverâ erant, ex facili occaſione, aut errore, in eum relabebantur, recidivâ graviùs, quàm morbo affligente, & medicamentis fortiùs reſiſtente.

Interea aër apud nos jam antea fuerat, & adhuc dum erat, & poſtmodum aliquamdiu adhuc manſit, valde calidus, ſiccus, & ſubinde ſudus, ac gravis, ventis (ſi rectè memini) perpetuò flantibus Orientalibus, & modò ad Boream, modò ad Auſtrum inclinantibus.

Fructuſque ὡραῖοι omnis generis mirum in modum ubique in his oris abundabant, & avidiſſimè vorabantur. Ita factus Pomifer autumnus morborum ferax.

Qualis in incremento. Atque hoc tempore (poſitâ priori ſuâ apparentiâ, &, ſi ita loqui fas ſit, perſonâ) morbus ad proprium ſuum genium excurſit, Mediciſque oſtendit.

Accidit

Accidit illud præter propter poſt principium, aut medio menſe Octobri.

Neque enim nunc, velut antea, ſub forma tertianæ ſimplicis, aut duplicis apparuit, niſi in paucis, ſed, quos invadebat, ſub ſchematiſmo invaſit febris continuæ ſatis acutæ: qualis etjam perſtitit biduum, triduum, & amplius, prout aut ſerius, aut maturius, quæ neceſſaria erant, præſcribebantur, quando eorum ope rurſus modò in tertianam ſimplicem, modò duplicem, modò in febrem intermittentem Vagam commutabatur.

Verùm, neque, ut ante, aut invadebat, aut tempora ſua percurrebat. Cùm enim antea more tertianarum legitimarum, & ſat citò, & cum ordinariis earum ſymptomatis moveretur, nunc protrahi in, aut poſt ſtatum, incepit, & interea acutarum inſtar, vehemens habere initium, ac incrementum, viribus ſtatim in initio, ad normam Febrium malignarum, proſtratis, ac dejectis, adeò, ut viderim homines cæteroquin robuſtiſſimos, à biduanâ, aut triduanâ, ejus afflictione, tantopere debilitatos, ut nec pedibus inſiſtere, nec lecti mutationem abſ-

que

que periculo ferrè non potuerint.

Symptomata autem, quæ hoc tempore in eo obſervabantur, alia quidem communia erant pleriſque, alia verò quibuſdam propria.

Communia fere erant ſequentia.

1. Frigus aliquod in initio paroxiſmi, in aliis levius, & brevius, in aliis verò graviùs, & diuturnius.

2. Mox diminuto, aut recedente frigore, nauſea, & vomitus, variorum humorum, pituitoſorum, acidorum, ſed ordinariò bilis æruginoſæ, aut porraceæ ab admixto acido alteratæ, & corruptæ.

3. In quibuſdam etiam mox à vomitu Diarrhœa varia. In quampluriuis utraque excretio ſimul urgens, Cholera tunc dicta. Et quod notandum, quibus illa ſtatim à principio accidebant, illi & leviùs, & faciliùs poſtea morbum tulerunt, & citiùs, minorique cum periculo ab eo evaſere.

4. Anxietas intolerabilis circa præcordia, præ qua neque reſpirare ſatis liberè

liberè, neque quieſcere, neque uno ſe ſatis loco in lecto continere poterant. Atque illa augebatur

4. Increſcente poſtmodùm calore, qui in aliquibus erat blandior, in aliis verò aridus aliquamdiu, & valde acris. Hoc tempore

6. Pleriſque caput, lumbi, abdomen, omneſque artus, & membra ita dolebant, idque ſtatim ab initio, perinde ac ſi fuſtibus confracta fuiſſent. Alii propterea

7. Aliquot continuas noctes dormire non poterant. Alii è contrario, quibus ea leviùs dolebant, ſomnolenti erant, & quaſi comatoſi, in quibus proinde abſtinendum fuit à paulò fortioribus Narcoticis, quod, genium morbi ex hoc perſpiciens, ſedulò propterea, & religiosè, in tota hac praxi mea, in omnibus meis ægrotantibus, obſervavi, eò magis quòd advertebam, pleroſque hos Comatoſos morbo ſuccumbere, paucoſque evadere.

8. Sitis

8. Sitis pleroſque non tamen omnes æquè graviter, afflixit. Eam qui tollere multo potu aggreſſi ſunt, plurimùm anxietates ſuas auxerunt, ſive cum retinerent, ſive rejicerent.

9. Venter mirum in modum quibuſdam diſtendebatur à flatibus, quibus excretis anxietas quodammodo minuebatur. Duravitque ea diſtentio in aliquibus adhuc diu poſt quàm à morbo convaluerant, licet aut ſponte, aut ab arte, alvus in dies moveretur.

10. Appetitus omnibus ferme in totum erat proſtratus, & dejectus, veluti & aſſumptorum fermentatio, ac diſtributio, neque reddi illa, aut reſtaurari, niſi tardè, difficulter, & magno cum molimine, potuerunt.

11. Alvus ſegnior iis fuit, quibus Diarrhœa in principio non erat oborta: imò his ipſis etiam poſtea.

12. Pulſus in pleriſque parvus, debilis, celer, & frequens.

13. Reſpiratio crebrior, difficilior, & cum dictâ anxietate anheloſa.

14. Vires ſtatim, ut ante etiam monitum, proſtratæ; quæ remittente licèt morbo, nec medicamentis, nec victu analeptico, niſi admodum tardè, reſtitui potuerunt.

15. Qualitates pleræque in facie ſtatim mutatæ, & notabiliter, adeò ut ſemimortuis non abſimiles viderentur, manſitque diu poſt morbum hæc mutatio.

16. Urinæ erant variæ. Quibuſdam in initio claræ, ſed ardentes, rubræ, ac craſſiores, quæ tamen poſtea turbabantur, & ſubſidentiam ad fundum dimittebant: aliis ſtatim turbidæ, aut turbatæ. Pauciſſimis planè crudæ, aqueæ, aut tenues.

In initio hujus morbi mire profuerunt.

1. Venæſectio, in principio ſtatim adminiſtrata.

2. Purgatio.

2. Purgatio.
3. Diaphoreticorum uſus.

In incremento indifferens erat Venæ ſectio: proderant autem potiſſimùm ſequentia.

1. *Decoctum,*
Petaſitidis,
Scorzoneræ,
Cornu Cerv. raſp.
Fol. Borrag.
Bugloſſ.
Limon. integr. in taleolas diſſect.
Seminis Aquileg. & ſimilium quorundam aliorum, additio ſubinde levioribus quibuſdam purgantibus, puta
Fol. Sennæ mund.
Syr. de Cichor. cum Rheo, aut ſimilibus, aut iiſdem ſeorſim uſurpatis.

2. *Mixturæ incidentes, attenuantes, aperientes, & Diaphoreticæ, v. g. ex*
Aq. Petroſel. Menth. aut
Fœnicul.
Cinnamom.

Antim.

Antim. Diaph. aut
Bezoard. mineral.
Ol. Macis ſtillat. &
Syr. Menth. aut de Limonibus, &c.
Quibus ſubinde etiam cum ſucceſſu addidi
Aq. vel Sp. Cochlear. q. s. eſſe videbatur.

Vel etiam:
Sp. Sal. Ammon.

3. *Pulveres Diaphoretici, præcipuè ex mineralibus, aut metallicis, parati.*

4. *Diaſcord. Fracaſtor.*
Sylvii.
Theriac.
Mithridat.
Confect. Alkermes
Hyacinth. &c.

Hoc tempore autem morbus in dies in plures proſerpebat, præcipuè in adultiores, magis tamen in ruſticos, quàm in urbanos; & magis in aliis, quàm in hâc noſtrâ civitate.

Qualis in ἀκμῇ.

Vigente autem morbo præcedentia omnia fuère graviſſima, præcipuè verò anxietas illa, nauſea, vomitus, dolor capitis, imbecillitas, & ſic porro.

Et hoc tempore, quod fuit circiter declinante Octobri, ſequente verò menſe Novembri Febris continua diutiùs, quàm hactenus, durabat, ægroſque diutiùs divexabat.

Neque aut ſolvebatur, aut mutabatur, niſi productis primùm Aphthis, in plerìſque levioribus, albicantibus, aut mollibus, in quibuſdam tamen malì moris. Et hi poſteriores omnes de vita ſua periclitati ſunt.

Ubi verò ſolvebatur, plerumque ſolvebatur imperfectè, aut in febrem intermittentem convertebatur incertam, modò tertianam ſimplicem, modò duplicem, modò cottidianam, modò vagam, & ſic porro, remanentibus nihilominus dolore capitis, lumborum, artuum, appetitu proſtrato, ſiti, anxietate, reſpiratione difficili, languore, laſſitudine, ſomno depravato, diminuto,

nuto, aut abolito. Memini enim vidiſſe, & curaſſe; qui integras octo noctes continuas, & plures, ne unicam quidem horulam quieverant, *&c.*

Eadem fere, ut antea, uſurpata, niſi quòd in gratiam Aphtharum, internè quidem Hordeata, & Emulſiones, Linctus, & ſimilia, externè verò Gargariſmata uſurpata ſunt.

Atque hæc quidem declinante jam morbo perſeverabant. Quando tandem ſæviſſimus, & moleſtiſſimus, hic morbus in quartanam degeneravit. Quod duobus fere accidit modis.

Alii enim in illam inciderunt ſine prævio hoc morbo: atque eorum Febris fere regularis eſt, ſimplex, aut duplex, quam legitimam vulgò appellant: alii poſtquam jam à priore morbo integrè convaluerant, & inter ſanos, ſaltem neutros ex convaleſcentia, meritò, & jure, numerabantur, & horum quartanæ medio fere ſe habent modo: alii denique immediatè ex hoc

Qualis in declinatione.

morbo in quartanam prolapſi ſunt, ſed eorum febris fere triplex eſt, Continuæ juncta, & planè anomala; qui propterea etiam lecto affixi, aut miſerè degunt, aut extrema ſolvunt.

Notandum vero:

1. Ab hoc morbo paucos omnino obiiſſe, initio ægrotantium numero, niſi jam declinanre morbo. Quod quò clariùs agnoſcas, pro vero tibi affirmare poſſum in hac tam populosâ civitate noſtrâ nunquam durante, aut ſæviente hoc tam diro affectu, numerum defunctorum aut aſcendiſſe, aut ſuperaſſe, centum & quinquaginta homines ſpatio integræ, aut totius ſeptimanæ.

2. Plures ruri, quàm in urbibus defunctos.

3. Pleroſque ſenes ab eo devictos, ſi ab illo corripiebantur, eorum verò pauciſſimos evaſiſſe.

4. Cor-

4. Corpulentiores magis periclitatos fuiſſe, quàm macros.

5. Ex omnibus Eccleſiæ reformatæ Anglicanæ membris in hac civitate, hactenus ab hoc morbo interjiſſe neminem: quod, dum hæc ſcribo, retulit mihi fide digniſſimus D. Hickman, paſtor illius Eccleſiæ.

Succeſſit huic morbo jam inde à medio circiter hujus menſis Novembris Coryza, ſive gravedo, quæ communiter fere vagata eſt in pleroſque, moleſta, diuturna, ac gravis. Ejus occaſione natæ: Conſequens hujus morbi.

1. Tuſſes ſatis vehementes.

2. Anginæ acutiſſimæ, quæ ſpatio paucorum dierum, ſubinde etiam horarum, nonnullos è medio ſuſtulerint.

3. Peripneumoniæ pariter periculoſæ, & acutæ.

 Pleuritides

4. Pleuritides tum legitimæ, tum nothæ, ſimilem in modum acutiſſimæ, & quibuſdam exitiales, quibus ſcilicet, quâcumque adhibitâ curâ, & diligentiâ, phlegmata a pectore deturbari non potuerunt. Atque horum morborum vi plures è medio ſublati, præſertim ruri, quàm toto prioris morbi de curſu, aut tractu.

Nunc (Deo ſit laus) morbus (exceptis quartanis) porro ſilere incipit.

Audiviſti, V. Cl. genium hujus morbi, ejus exortum, incrementum, ſtatum, ac declinationem, & in omnibus, ſinguliſque ejus temporibus communia pleriſque ſymptomata.

Nunc paucis etiam intellige peculiaria quædam, & paucis propria Phænomena. Qualia fuère

α. Odontalgia, cum elevatione quadam, ac vacillatione dentium, quæ vigente, imprimis morbo, ſatis frequens.

β. Dolor

β. Dolor gingivarum, earumque cruentatio, & corruptio.

γ. Hæmorrhagia narium.

δ. Fœminarum menſtruatio ante tempus.

ε. Hæmorrhoides coecæ, aut fluentes.

ζ. Mictio cruenta.

η. Convulſio, & Spaſmus.

ϑ. Prunella.

ι. Dyſenteria, ſive dejectio cruenta, plerumque cum dolore, & torminibus, in uno, alteroque indolens.

κ. Maculæ quædam, Scorbuticis non abſimiles, quæ frequentiores erant, & diverſæ tum magnitudinis, tum figuræ, tum coloris. In pauciſſimis autem verè Petechiales, quas in tribus ſolùm, quatuorve familiis enatas

tas vidi, in quibus etiam quæ graſſabantur febres erant acutiſſimæ, maligniſſimæ, & admodum contagioſæ. Verùm id accidit ſolummodò vidiſſe in principio morbi.

κα. Parotides ſpuriæ.

Recenſita illa Phænomena peculiaria, & quibuſdam propria appellavi, non quòd valde rara exiſterent, in quàm multis enim à me, & ab aliis animadverſa ſunt, ſed quòd communiter tamen huic morbo non fuère ἐπιγινόμενα, aut aſſidentia.

Atque hæc ſunt, V. Cl. quæ mihi de hoc morbo ſuggeſſit memoria.

Quæ an ſint conventura cum ſymptomatis à Vobis in hoc morbo obſervatis ego quidem ſcire ex viris illis eruditiſſimis, atque expertiſſimis, aveo.

Vera autem illa eſſe omnia, quæ narravi, & ipſe certò ſcio, & reliqui mecum ſciunt, quotquot hîc Lugduni in

Batavis

Batavis ad eum curandum vocati ſunt.

Quò tamen & rei ipſi, de qua agitur, & Vobis, Viri Clariſſimi, & animo meo ſatisfacerem, conſultum duxi, hanc, quam exaravi, Hiſtoriam, cum primariis hujus urbis Medicis D. D. Theodoro Maton, D. D. Joh. Groenvelt. D. D. Frederico Deckers, D. D. Petro Gequier, conferre, ut ſi quid forte memoriâ meâ excidiſſet, illud candidè ſupplerent: Præſto fuêre omnes, nihilque his addendum cenſuerunt.

Præter quæ ecquid, et quidnam aliarum civitatum Medici obſervaverint (audivimus enim in Belgio ipſo, variiſque ejus urbibus, aliquam in ſymptomatis repertam fuiſſe diverſitatem, veluti in diffuſione ſui, atque exitu, quodammodo diſtulit à ſe morbus. Plures enim Harlemi, Amſtelodami Delphis, quàm in hac civitate noſtrâ, correpti ſunt, & ubique plures ruri, quàm in urbibus; leviuſque apud nos, quàm alibi, ferociit) dicere quidem pro vero hactenus non poſſumus. Atque

Atquæ hæc ſunt, Vir. Cl. quæ de hoc morbo referre potuimus. Quæ ſi forte deſiderium tuum non expleant, utcumque tamen petitioni ſatisfaciunt, aut reſpondent: *Quo ſcilicet tempore primùm, quibus omnino ſymptomatis in Hollandia apparuerit; quo tempore primùm, quibus modis expugnatus ſit; quaſque viciſſitudines ſuſtinuerit.*

Ea verò nudè enarrata, ſine ullo verborum, aut ſtyli elegantioris apparatu, aut ſtrophis, ſine ornatu ullo, tibi, tuiſque, valde placitura, non eſt, quòd multum confidam: ſatis erit, ſi veniam aliquam mereantur, aut excuſationem, quam mihi à Vobis ſpondeo, qui nullus dubito quin hoc mecum in hujuſmodi negotio cogitetis:

Ornari res ipſa vetat, contenta doceri eſt.

Quapropter an hanc Laciniam operi, procul dubio, politiori, & accuratè elaborato adſuendam, aut ſubnectandam, putaturi ſitis valde dubito;

to; ego ſaltem vehementer non opto.

Tibi tamen, Vir amiciſſime, omnibuſque meis diſcipulis, gratias ago, quòd famæ, ac honori nominis mei tantopere invigiletis, meque dignum & memoriâ veſtrâ, & favore, judicetis.

Virum autem illum celeberrimum, quem ego plurimum veneror, meo nomine ut ſalutes, veluti & reliquos ejus ſocios, obnixè rogo; veluti & te, & reliquos meos diſcipulos, nòminatim verò D. D. Oviatt, amicos, & fautores plurimum ſalvere jubeo, Veſtrùm omnium addictiſſimus amicus.

Lugd. Batav.
Decemb. 21.
1679.

Lucas Schacht.

FINIS.

APPENDIX.

Proprii Morbi NARRATIO.

SECT I.

DIxi de his vitiis, quæ aliorum corpora afflixerunt: hactenuſque ea ſola à nobis tentata eſſe conſtat, quæ vel in alienis viſere perſonis, vel ab his addiſcere, licuit. Quoniam autem ex omni morborum

ſcientia, ut periculoſiſſima, ſic etiam clariſſima eſt ea, quam quiſque experiundo nanciſcitur, utique non alienum fore, neque inutile, judicavi, de meo quoque malo ſermonem attexere. Siquidem iſtum morbum, quem ſupra Epidemicum appellavi, non ſolum calamo excolui, verùm etiam poſt id tempus, quo priora litteris comprehenſa ſunt, in illum graviſſimè decidi. Et hunc quidem adeò immanem perpeſſus ſum, ut etiamnum me vivere mirentur omnes, qui decumbentem familiariter inviſerunt. Id quod evênit, quod maximè novum, & admiratione dignum videri poſſit, per eos dies, quibus huic quidem opellæ extremam adjicere manum feſtinabam. Quaſi verò morbum mortalibus oſtendiſſe non abunde eſſet, niſi eundem etiam perpeti debuiſſem. Néve etiam aliud huic laboris generi conſtitutum eſſet præmium, quàm ſcriptionem de morbo aliquo abſolvere, & ex illo ægrotare. Ergo etiam majore ſtudio mali genus hoc, quàm quodlibet aliud, me didiciſſe putandum eſt, & quòd ſcribendo

bendo de illo egerim, quodque pericu-loſè idem ipſe expertus ſim. Et mihi jam pleraque explorata eſſe neceſſe ſit, de quibus ante retuli, circa morbi iſtius cognitionem, recténe ſint judicata, an ſecus. Jamque ab experientiam longè optimè diſcernere poſſe, ſive quid corrigi oportebit ex iis, quæ priùs expoſui, ſive quid deficiat, ſive ſuperet aliquid. Quocirca me, ob hæc quidem, iterum ad ſcribendum animum appuliſſe, non inficior. Appendicémque ad calcem idcirco adjicere voluiſſe, quò limatiora omnia eſſent. Quod tamen neque eo conſilio feci, quia permulta in his eſſe perſpiciebam, quæ quidem aliter dici debuiſſent, neque quòd nonnullarum rerum oblivio magnopere me moveret, verùm ut, quæ ſupra ſunt poſita, etiam atque etiam confirmata redderentur. Videbar enim mihi, in meo morbo, quamplurima vidiſſe, quæ fidem illis ipſis rebus facerent; ſed etiam pleraque, quæ obtigerunt, communia notaſſe cum aliis hominibus, eodem malo laborantibus. Quæ cùm ita eſſent, & pondus,

Præcipua cauſa ſcribendi Appendicem.

& auctoritatem, illa quidem habitura eſſe non dubitabam, aliquantò majorem, ſi ſcriptis hæc quoque traderentur. Siquidem etiam eaſdem medendi vias, in meo caſu, ingreſſus ſum, quas ſupra conſcripſi, quòd ſimiles rationes, in illis hominibus, ſæpiùs optimè reſpondiſſe viſeram, non utique fortaſſe. Faciam itaque primò, ut omnia diligenter expediam, quæ hiſtoriam morbi, quem habui, curiosè complectantur. Deinde exponam quæ modò notare mihi licuit ſub eodem: quibuſque modis ea vel conveniant, vel diſſentiant, cum iis, de quibus eſt dictum. Sic enim cùm me vera dixiſſe, in ſupra poſitis, patebit; tum novam quaſi lucem his accenſam iri confido.

I I.

Principium morbi. Igitur, circa Nonas *Decembres*, ſuperiore anno, atque illis ipſis diebus, quibus quidem húnc commentarium, qui præceſſit, quàm proximè aberat, ut ad umbilicum perducerem, prima mali ſemina percepi. Ac abditarum rerum

rerum, & morbos continentium cauſarum, conjecturas, utique miſſas faciam. De his potius dicam, quæ certa, & explorata, cùm ſint, cauſæ propterea *evidentes* ab omnibus appellantur. Ante omnia vero nullam Epidemicæ labis, quæ me afflixit, evidentiorem cauſam adducere poſſum, quàm cibum, potionemque inſalubrem. Etenim, cum homine mihi amico, & familiari, cùm de nocte œnopolium intraſſem, neque vinum inibi eſſet vel Hiſpanienſe, vel Gallicum, credo, quòd ex his illud nimis novum, hoc recenti conſtitutione cautum eſſet, equidem popoſci genus Luſitanicum. Allatum eſt. Simul atque verò guſtavi, protinus illi, qui mecum aderat, & alieno ſapore eſſe dixi, & is quidem, ubi attigiſſet, ideò quoque minus eſſe ſanum ſuſpicatus eſt. Verumtamen cùm ſeriò certas res agitare cœpiſſemus, his niſi fine impoſito, neutri placuit diſcedere. Ac familiaris ille meus, quò vel famem tolleret, vel vini noxam, Lucanicas dehinc juſſit adferri porcinas. Itaque modicè unà cœnavimus. Neque verò

Cauſæ procatarticæ hujus mali.

 ultra

ultra duas heminas bibitum eſt: neque ego propterea niſi paululum aliquid vel edendum, vel bibendum, mihi duxi, quòd Lucanicæ quoque minùs ſtomacho placerent. Id quod illico etiam verbis oſtendi. Nam cùm poſt iſta parumper conſediſſemus, mihique minùs bene eſſe cœpiſſet, *Hoc vinum*, dixi, *atque hæc Lucanica, me malè habent.* Neque ita multò poſt uterque noſtrûm domum diſceſſit.

III.

Febris initium.

Abhinc, intra paucas horas, febri me quoque correptum perſenſi. Scilicet his hanc maximè rebus inducentibus, quas aſſumpſi, ſiquidem ex eo tempore, ne momento quidem interpoſito ſpatii, protinus illa ægrè concoquere, mutatamque ſecundam valetudinem cognoſcere cœpi. Primumque adverſæ veſtigium fuit, aut frigus, aut horror, ſed tamen utrumque & leve, & tolerabile. Ac licet hyems eſſet, feróque domum reverterem, frigoris eam ſpeciem nihilominus ab eo ſenſu,

ſenſu,quem nox intempeſta præſtat,manifeſtè diſcernere videbar. Nam neque frigus eo die maximum erat: neque, ſi eſſet, ſic aliàs frigere ſolebam. Ad ignem autem cùm aſtitiſſem, brevi momento hujus vis quoque periit. Manente tamen & dolore cervicum, & rigiditate per nucham exortâ, ſimul atque corpus inhorruit. Idque ſecundum ſymptoma extitiſſe compertum eſt,quod quidem primâ nocte ſuſtinui. Ac alios homines quoque, veniente hoc morbo, ſimilem cervicis rigorem occupaſſe, hîc quidem apud nos didici, tametſi de ea re nihil alibi acceperim. Calor verò, qui inſequtus eſt, & mitem omnimodò, & blandum, & exiguum ſe præſtitit, & quidem adeò, ut vix me febricitare deprehenderem. Atque ita tandem, ſine ulteriore incommodo, nox ea prima dilapſa eſt, ſomno ſatis placidè accedente.

Primæ noctis ſymptomata.

I V.

Quibus ita dictis, quæ quidem his

 præceſſerunt,

Quæ ante-ceſſerunt hunc morbum.

præceſſerunt: nunc quoque ſubjiciendum eſt. Ab illis enim, quæ commemoravi, morbum iſtum, *in actum*, uti ſtudioſi ſapientiæ loquuntur, deductum eſſe credibile eſt. Quædam verò in corpore latuiſſe, & illorum injuriis illud obnoxium effeciſſe, quis non videat? Tametſi tantâ vi iſthæc neutiquam valerent, ut morbum ſola concitarent. Ac de his cauſis, quæ *Antecedentes* nominantur, & *Proximæ*, utique nihil eſſe me dicturum ſpoſpondi. Cujuſmodi iſthæc videri poſſint, non inficior. Verumtamen id ipſum aliorum hominum arbitrio concedam, ut in utrumlibet cauſarum genus inquirentes, quod proximum, quod antecedens eſſe velint, ſtatuant, ac pro certo videant. Ego nihil interea indicabo, neque opinionem interponam meam, an hæc, quæ ſequuntur, cauſarum vim continuerint antecedentium, an alia. Conſtitui enim ea ſolummodò tradere, quæ modò in me ipſo expertus ſum, ſive ea ad hanc, de qua re ſolicitus eſſe nolo, ſive ad aliam cauſæ rationem pertineant. Ergo

etiam

etiam iis temporibus, quæ paulò ante invaletudinem meam præceſſerunt, in me varia quidem incidiſſe ſignorum genera, qualia maximè Scorbuti eſſe ſolent, clariſſimè circumſpexi. Neque verò unquam dubitavi, quin illi malo præcipuè omnium adjudicanda eſſent, præterea nulli. Ut, cùm, me Scorbuticum eſſe, inſcius non eſſem, tunc quoque magis illâ peſte me afflari putarem. Talia erant oris vitia, intra hunc affectum naſcentia; ut puta gingivarum inflammatio, & interdùm dolor, & tumor, & exſaniatio, & fœdus halitus, & vel manè oris aſpritudo, inſuavíſque ſapor, vel pultem referens humor glutinoſus, linguáque albida, & quæ his quàm ſimillima ſunt. Talia item erant, & gravitas corporis, quàm ex conſuetudine, frequentior, & ſponte artuum laſſitudo, & horum quoque ipſorum dolor, & Urinæ perpetuo tempore Scorbuticæ, ſive puræ, ſive turbidæ, apparuiſſent. Verumtamen iſthæc, quæ dixi, vix ullo tempore à me abſunt, etiam ſaniſſimo, quamvis nunc horumdem & brevior

vior eſſe reditus, & graviùs quoque premere viderentur. Illud verò etiam inexpertum fuit, & planè novum, quòd & gravem, tardumque ſpiritum, trahere cœpi, & abdomine diſtendi, & inflationes crebriùs experiri, quales vix unquam aliàs inciderunt. Maximéque quòd imbecillitas acceſſit in altero genu, qualem quidem ab arthritidis ſpecie gonagra profectam minimè credidi, cùm præſertim neque tumor, neque dolor, quantus in eo morbo ſit, neque illius alia ſigna ſe oſtenderent. Modóque leviùs, modò paulò graviùs afficere: interdum genu infeſtare, interdum ab eo ſe retrahere, conſuevit. Præcipuèque labore, & exercitatione, vel imminui, vel in totum reſolvi: poſt otium redire, aut aliquantò magis increſcere, comperiebam. Neque inceſſum unquam, neque ſomnum prohibere; neve alium ſenſum, quàm cujuſdam ſtuporis præ ſe ferre: calorémque cubilis manifeſtè adamabat. Quorſum plura? Cùm Scorbuto mágis magíſque in dies eſſem obnoxius, utique illius ſignis hæc quoque adjiciebam, &

ab

ab eo malo non aliena eſſe non dubitavi. Itaque Arthritidem mallem dicere Scorbuticam, quàm aliam, Hæcque tandem ſunt, quæ ante adverſam valetudinem, de qua dicere inſtitui, quorum modò meminiſſe poſſum, evenerunt. Nunc ad propoſitum meum redibo, quidque ſecundo, quid tertio die obrepſerit, intra ordinem referam.

V.

Igitur eo die, qui primam noctem conſecutus eſt, neque protinus me ſomno levatum eſſe, neque dum febrem diſcuſſiſſe, ſenſi. Quin etiamnum, & minùs rectè habere, & modicè febricitare, & id ipſum toto die permanere: ut cum moleſtia quâdam pleraque munera præſtiterim. Verumtamen hæc ipſa hactenus intra mediocritatem conſtituta erant. Ideòque, & manè ſurgere, ac neque labori, neque negotio, me ſubtrahere, volui: quòd ſimilia incommoda per ſe ſæpe quieſcere vidiſſem. Labor autem

Dici ſecundi ſymptomata.

tem, quem quidem in manibus habui, per id tempus, hæc utique erat ſcriptio, quam legiſtis, de hoc morbo. Itaque memini ſcripſiſſe, ante Meridiem illius diei, pæne tantumdem, quantum aliis quidem diebus in conſuetudine habui. Sic tamen, ut illa ſine labore aliquo, & incommodo, minimè procederent. Poſt hæc prandium quoque ingreſſus, neque cibum, quantum aliàs, ſumpſi, per cautelam, neque quamplurimum ſumere, ſi maximè vellem, potuiſſem, intercidente nonnihil jam tunc fame. Atque ita primum diem ſub morbo exegi, id eſt, laborioſè; eúmque nox excepiſſe viſa eſt priori perquàm ſimilis, id eſt, quietis, & ſomni, ſatis. Poſteruſque dies eadem oſtendit, quæ primus, febrem, corporis dolorem, moleſtiam; ſed neque his demptum eſſe aliquid ſomno, ſed adjectum. Nam & continua febris erat, & incrementum ſine dubio nunc aliquod accipiebat. Idque, ubi experrectus ſum, non ſolùm conjicere; verumtamen ex eo, quòd cuncta mihi eſſent graviora, protinus ſcire, licuit.

Quid tertio die evenerit.

Quæ

Quæ cum ita eſſent, nihilominus manè ſurgere, méque, velut pridie, ſcriptioni credere conſtitui, ſi quo pacto illa moleſtia decederet. Verùm neque ita diu ſtudiis his incumbere, neque multas admodum lineas eo die ducere ſuſtinui, ſcilicet in tantum increſcentibus morbi viribus urgeri me videbam. Atque ubi ad cibum ventum eſt, utique ex hoc parum, vel nihil, capere poſſe, quoniam ejus rei aviditas jam ex toto collapſa eſſe videretur. Poſtque epulas, primò malum magnis paſſibus incedere, dehinc & in lectulum me quoque velle detrudere, ex iis, quæ modò experiebar, apprehendi. Itaque ut illi occurrerem, neque longiùs ſpem inutilem traherem, hominem & mihi familiariſſimum, & arte, & ſcientiâ, inſignem, iiſdemque mecum ſtudiis imbutum Leydæ, Jacobum O'viattum, Medicinæ Doctorem, ad me accerſiri juſſi. Scilicet huic viro litteratiſſimo idcirco meam curationem concredere volui, quoniam & illius ſtudia bene novi, dum in eadem Academia ſimul eſſem, & ſub eodem Magiſtro, clariſſi-

mo,

mo, ſapientiſſimoque viro Schachtio, eamdem morbos curandi rationem, & viam, didiciſſet: deinde quòd, ut mihi viſum eſt, morbum iſtum Epidemicum, quomodò tractaret, ex eâdem diſciplinâ, ſi modò huic inſiſteret, neceſſariò ſcire debuiſſet. Neque verò alterius hominis ope, & auxilio, propterea utendum mihi duxi, ne ſi, quod vero propius eſſet, quiſquam alias medicandi vias induxiſſet, mihi quidem non ſatis cognitas, & perſpectas, inter hæc proprio ipſemet conſilio deſtituendus eſſem.

V I.

Qualis Morbus apparuerit accedente Medico.

Is itaque, ubi ad me acceſſit, protinus Epidemico quidem malo me laborare pronunciavit. Bonoque animo eſſe juſſit, quòd & ipſe, & ille, infinitum populum eâ peſte correptum vidiſſem, eumdemque fœliciter ad ſanitatem perductum. At ego confeſtim illi inculcare, petereque vehementer ab eo, cœpi, quicquid de me foret, ne ab optima, præſtantiſſimâque meden-

di

di ratione, id eſt, Schachtianâ, vellet diſcedere, ſiquidem inter μεθόδους quamplurimas, ea ipſa quamplurimis hominibus longè optimè ceſſiſſet. Ergo etiam ubi in morbum inquiſiviſſet, & omne ſymptoma, illa quidem hujuſmodi eſſe cognovit. Febris erat, quæ per horrorem, tametſi levem, triduo ante occuparat: eaque febris continuè afflixit, tam remiſſionis, quàm exacerbationis quidem expers. Lentè quinetiam increſcere, neque dum ad ἀκμὴν perveniſſe videbatur; lentarum quoque febrium ſpeciem repræſentare, ob manſuetudinem ſui, & præcipuè paucitatem ſymptomatum. Nam neque calor tam vehemens erat, quantus aliàs eſſe ſolet, neque pulſus adeò celer, aut certè frequens, ut majora hæc indicia cottidie non ſint. Interque hæc ego vehementer ægrotabam, longèque ægriùs ea me perferre confitebar, quàm aliàs multò graviora tuliſſem. Neque verò ſitis tantopere urſit, neque vigilia, quin potius in ſomnum inclinata res eſſet; maximèque hunc, qui laborem comitem

comitem habet, qui peſſimus Hippocrati creditur. Cupiditas cibi nulla, nulla dejectio, ſed quaſi compreſſa alvus erat: nullus ſudor procedebat. Quodque ad vomitum pertinet, quo quidem incommodo quamplurimos torqueri ſupra quoque ſcriptum eſt, ut nullus erat, ſic neque ad eum nauſea, & promptitudo. Neque præcordiorum ad hoc tempus anguſtiæ ſe oſtenderant: quæ tamen inſequenti die graviter incubuerunt. Et mens conſiſtebat adhuc, & præterquàm mens, etiam caput perquàm rectè habuit, niſi tamen aut gravius aliquantò, aut in ſomnum proclivitas, eſſet. Hic verò, tametſi ſatis multus, & tamen inquietus plerumque erat, & imaginibus perturbatus, & ex intervallo interruptus, maximèque gemitibus obnoxius. Vireſque ſupereſſe adhuc, neque vehementer concidiſſe videbantur; ut neque dum deſperationem quid faceret, neque ille interea ſpem optimam haberet. Nam & morbus, & hujus ſymptomata, cùm citra vehementiam conſiſterent, illa difficillimè tamen tolera-

re

re me ipſum viſebat. Ita magnum morbum vix adhuc eſſe, ſed fore: pluſque etiamnum ejus in receſſu latere, quàm quod apparuiſſet, ſuſpicatus eſt. Quapropter & hujus quidem mitigationem quamprimùm tentandam ſuaſit, per ea, quæ ſequuntur; & primò mixturam præcepit ex iis, quæ modicè ſunt refrigerantia, magiſque ſudorem moventia, quæque etiam & aperiens corporis compaginem, & incidens humidum omne, & idem extenuans, eſſet. Ea compoſitio habuit: *Aq. Menth. Meliſſ. Cinnamom. hordeat. Antimon. diaphoret. Laud. Op. Spir. Nitr. dul. Syr. Card. ben. & Syr. limon.* Deinde Bolum quoque in eam noctem adjecit, qui his conſtabat: *Rob. Sambuc.* *. *Antimon. diaphor.* *. *Lap. Prunel.* *.

VII.

His ita ordinatis, ubi poſtero die ad me venit, utique nihil imminutam febrem, nihil ſymptomatibus deceſſiſſe, auctaque potiùs ea omnia eſſe, com-

pertum eſt. Primumque conſilium fuit de ſanguinis per inciſam venam detractione; ſiquidem id ipſum innumerabili plebi pro auxilio fuiſſet. Maximèque, quòd febrem etiamnum increſcere, neque hanc æquè citò conſtituram eſſe, præſagiret. Itaque
Venæ Sectio.
veſpertino tempore venam incidendam curavi; cùm quidem, per eum diem, & morbum vehementer auctum eſſe, eôque ipſo jam multò graviùs me premi, perſentiſcerem. Etenim ad ea, de quibus dixi, & anxietas ſe adjunxit, & inquietudo, & non expedita reſpiratio, & corporis nunc quoqne imbecillitas aliqua; ut & ab his gravem metum impendere, periclitantiſque jam in difficili rem eſſe, neceſſarii judicarent. Faciliùsque id ex iis,
Alia Symptomata.
quæ, ſub Venæ quidem inciſione, in me viſerunt, timeri potuit. Siquidem, ut ſanguis emitteretur, cùm, in hemyciclo collocandus, de lecto, quem quidem ſub veſte toto die preſſi, ſurrexiſſem, corpuſque aliquantò moviſſem, utique tanta apparuit in me imbecillitas, anxietas inſuper etiam tanta,

ta, & jactatio, adeòque graves gemitus ore auditi ſunt, ſuſpiriorúmque maximè triſtium ſonus, ut nemo eſſet ex iis, qui aderant, qui non me periculoſiſſimè laborare, diceret. Quocirca, dimiſſo jam ſanguine, quoniam ſudor ſuperiori nocte nullus prodiiſſet, hanc quidem potionem, ante ſomnū, accepi, ad eos uſus aliquantò magis valentem. *Aq. Card. Ben. Scord. aa.* ℥. *Theriacal. ſimpl.* ℥. *Antimon. diaph.* ℈. *Spir. Salis Ammon.* ℈. *Syr. Menth.* ℥. *m. f. hauſtus.* Quâ tamen epotâ, nihil omnino ſudoris fuit, quod elici potuit. Quin etiam ne perſpiratio quidem, quæ quotidianâ major dici poſſet, inſequuta eſt. Niſi eam ipſam ex magna quoque parte impeditam fuiſſe nobis perſuadere volumus, cùm corpus inſequenti luce ex toto ſiccum, vel certè aridum, habuerim. Nocte verò ſomnum ejuſmodi gemitibus plenum, & inſomniis gravem, irrequietumque nactus ſum, ut qui lecto aſſidebant ex domeſticis, vix antelucanum tempus me viſurum eſſe pæne putarent.

Secundum ſudoriferum: ſed fruſtra aſſumptum.

VIII.

Illuxit tamen alius dies; eumque æquè gravem futurum, mox ſcire licuit. Quoniam & hic prioribus acceſſit, nimiùm imbecillo jam corpore, &, nihil dum morbum ſe remittere, ex conjecturis patebat. Maximèque, Urinam nondum concoctionem promittere. Quæ quidem ab initio ruſſa, vehementerque Scorbutica, talis quoque ſine mutatione per plures dies permanſit. Cùm omnia infeſtarent, quæ priùs, tum præcipuè omnium anxietas, de qua dixi, & vel laſſitudo, vel certè imbecillitas ſumma eo die erat, & ad ſomnum, quàm ante, proclivitas aliquantò major. Ergo etiam cùm præcordiorum anxietatem illam vomendo poſſe minui putaret Oviattus, ideò Vomitorium quoque utendum conceſſit, circa veſperam illius diei. Idem tale quid præcepit, ex *Vin. emetic. Oxymel. Scyllitic. Aq. Card. ben. & Aq. Cinnam.* Ac vomui, ut opinor, quinquies; pluries dejeci. Quæ deorſum deſcendère

Urinæ quales per hunc morbum.

Vomitorium.

deſcendère longè copioſiora, quàm quæ ſurſum mota ſunt; perliquida quoque fuère, non minus, quàm aqua ſolet eſſe. Cùmque ea rejectio pluribus horis fieret, utique toto ſpatio continenter dormitum eſt; niſi quando vomitus ex intervallo excitaret. Atque etiam anxietatem, & gemitus, & ſuſpiria, & infirmitatem prope incredibilem, conjunctam habuit. Vomitum verò bilioſum præcipuè, pituitoſumque; id eſt, utrumque hunc amorem variâ quidem ratione permixtum. Adeò ut *Amalgama* humorum Chymicorum aliquis vellet potius dicere. Poſt hæc, cùm me fatigatio & ingens, & maxima, tenuiſſet, par quoque membrorum omnium languor excerceret, utique duo iſthæc ſomnus excepit, quo quidem totâ potiſſimùm nocte, inque diem poſterum, conquievi. Minùſque laboris plena, quàm antea, minùs quidem inquietudini, & gemitibus, obnoxia, extitiſſe, illa quies viſa eſt. Ut tali me ſopore aliquantulum refectum iri, inde uſque, cùm nondum ſolutus eo eſſem, multi

Febris ſolutio.

Venarum fervor poſt febrem.

putarent. Neque Hercules eventus aliter reſpondit. Siquidem cum ſomno febris quoque diſcuſſa eſt. Illâque protinus vacuum, inſequenti luce, is, cujus amicitiæ vel hanc lucem me debere non inficior, Oviattus offendit. Caruique ſine reditu febre, quantum conjecturâ diſcere potui, in reliquum omne tempus ægritudinis. Tametſi hæc quidem per plures etiamnum dies duraverit: tametſi poſt arteriæ mannum diu attolli, neque intra paucos omnino dies ſubmittere ſe, voluerint. Verumtamen & rariorem, & tardiorem quidem pulſum, vix unquam aliàs in me ipſo experiri licuit, atque eo die, ubi experrectus ſum. Quinetiam integrè ſubſediſſe venarum fervor eo tempore videri potuit. Hîc verò commonendum eſt, me quidem, ad hoc tempus, uſum ejus, quæ primò præcepta eſt, Mixturæ, quotidianum habuiſſe, neque id ipſum ullo tempore dimiſiſſe. Ita ſecundùm, tertiùmque, ea ſpecies medicamenti iterata in præſcriptis fuit.

I X.

IX.

Proximum eſt, ut, quæ poſt febrem evenêre, nunc quoque ſubjiciam. Igitur, ubi illa conquievit, & quàm vehemens, quàmque periculoſus, ille morbus fuiſſet, & verò eſſet, primùm tunc patuit. Etenim, cùm febris intra pauciſſimos dies protraheretur, ut quintâ demum luce accedere deſierit, utique in tantum tamen corpus afflixit, ut ne ſexaginta quidem diebus integris, atque plenis, vel ex toto refici, vel uſquam progredi, potuerim. Scilicet eam imbecillitatem animi, itemque corporis, tantam, quantam quidem per morbos acutiſſimos, multòque longiores, vix aliàs ipſemet ſenſi, morbo poſt ſe relinquente. Eo autem ipſo die, quo ſubmota febris eſt, & imbecillitatem ejuſmodi, & corporis languorem, & ſpirituum, qui animales nominantur, pauperiem certè talem, expertum eſſe memini, ut & multò periculoſiùs laborare, quàm antea, vixque latum pedem nunc à capulo

Vis morbi poſt febrem apparuit.

me diſtare, putarim. Itaque, ſub finem illius diei, cùm ad me iterum acceſſiſſet Oviattus, ac animum quidem graviùs deſpondentem inveniſſet, miratus eſt vehementer. Cùmque inter ſcribendum ex me quidpiam requireret, huic ego, *Scribe, quidquid voles, namque ego nulli rei, præterquàm Sepulchro, nunc idoneus ſum.* Et pertimuiſſe verò languorem iſtum viſus eſt ipſe Oviattus, cùm mixturam eâ nocte conſcripſerit aliquantò magis, quàm ante, Cardiacam. Ea ſic habuit: *Aq. Menth. Fœnicul. aa.* *. *Cinnamom. hordeat.* *. *Tinctur. Croci.* *. *Antimon. diaph.* *. *Confect. Hyacinth.* *. *Spir. Nitr. dul.* *. *Syr. Menth.* *. Neque Laudanum Opiatum, quod erat in conſuetudine, voluerit adjicere. Id quod, duabus de cauſis, inutile eſſe judicavit, uti poſtea percunctanti patefecit. Quoniam, & vires vehementer imbecilles tunc eſſent, & in ſoporem ultra debitum inclinata res eſſet. Accedebat ad hæc, quòd arteriæ iterum ſe attollere inceperunt, quas quidem manè ex toto conſidiſſe reperi. Itaque, cùm circuitum

cuitum febris ipſe pertimeſcerem, non item ille, magiſque & gravitas, & malignitas hujuſce mali me terrerent, quàm ante id tempus, præcipuèque cùm multò vehementiùs me affligi putarem, ſanè cucurbitulas eâ nocte tentare volui. Has enim, in morbis malignis, inſignem uſum præſtare, & in extrahenda quidem, ſi qua ſubeſt, ad ſummam cutem malignitate, & hanc ipſam, per certas quaſdam notas, oculis ſubjiciendo, utique in Hiſpania notiſſimum eſt. Itaque quoties de morbi malignitate, aut vehementia, quis dubitat, aut quoties in ſomnum, qui nimius eſt, æger propendet, has adhibent. Idem neque renuebat Oviattus, tametſi nil opus eſſe diceret. Itaque accerſito ad me Franciſco Rolſio, Chirurgo peritiſſimo, mihique in paucis amiciſſimo, petii ab eo id genus auxilii. Quod ubi præſtitiſſet, verumtamen ſine cutis inciſione, jamque ſatis diu cucurbitulæ corpori inhæſiſſent, ne unum quidem ſignum ex his, quæ malignitatem oſtendunt, ſub iis animadvertere licuit. Tum igitur & ſpem aliquantò

Cucurbitulæ.

meliorem

meliorem fovere, minùſque, quàm antea, animo concidere cœpi, etiamſi omnibus orbatum me viribus eo die, læthoque ob id viciniorem eſſe, exiſtimarem. Quocirca magno animo aſſumpſi, circiter mediam noctem, eam potionem, quæ eſt hujuſmodi; ſi quo pacto ſub ea corpus moveri, ſudoremque dehinc prolici, quod commodiſſimum fore unusquiſque aiebat, fas eſſet. *Aq. Theriacal. ſimpl.* *. *Antim. diaphi* *. *Sal. Abſinth.* *. *Ol. Macis ſtillat.* *. *Spir. Sal. Ammon.* *. *Syr. Menth. Aq. Card. ben. aa. q. ſ. f. hauſtus.* Sicque tandem ſomno me tradidi, qui dicto citiùs, jamque magis placidè, obrepſit.

Tertium.

X.

Debilitas adhuc major.

Nam neque laborem, neque gemitum tam frequentem, illa nox attulit. Imbecillitatem verò etiam majorem, quam quanta viſa fuit hactenus. Nam & reſolutis tanquã membris omnibus jacui, neque jam reſidere, neque in alterutrum latus me convertere, niſi non expeditiſſimè

tiſſimè potui. Minimè verò veſte velare corpus, idque ipſum nudare, niſi poſt multos dies ſuſtinui. Quæ tamen omnia, & ante febris receſſum, inque ipſo morbi vigore, me præſtitiſſe conſtat. Prorſus, ut, inſequenti luce, cùm quidem imbecillimum me eſſe confiterer, neque cauſam ejus rei ſcientiâ comprehenderem, atque quò tandem ſpiritus extra corpus avolaſſent, atque quomodo ſubita hæc illorum in me pauperies irruiſſet, cum Oviatto expoſtulare cœperim. Nam neque ſudore digeſtos eſſe nimio, neque tabe, neque dolore, conſumptos, neque commotâ alvo effluxiſſe, neque longitudine, neque vehementiâ morbi, periiſſe, neque aliâ ratione intercidiſſe, conſtabat. Et tamen elanguebam; & quidem adeò, ut jam ex dimidia mei parte me extinctum eſſe inclamarem. Ille verò neutiquam avolaſſe diſſerebat, cùm ejus quidem rei nullam rationem inſpiceret, ſed pituitæ viſcidæ involutos etiamnum in corpore habitare. Et ideo neceſſarium eſſet, incidere adhuc magis medicamentis, &

& attenuare, glutinoſum humorem, eúmq;inſuper etiam corpore ejicere,quò quidem & firmitas, & bona valetudo, ſpiritibus libertati reſtitutis, rediret. Quod cùm curiosè circumſpiceret, ex quo febris diſceſſit, ideo ſe mixturam præcepiſſe heſterno die, & ad incidendum valentiorem, quàm antea, & ad ſpiritus gignendos aptiorem, quæcunque horum jactura incidiſſet. Itaque ſuadebat, ut ejus quidem Decocti, quod *amarum* noſtri nominant, etiam uſum adhibere vellem, quo quidem medicamento nullum is, ſive ad incidendum, ſive ſubtiliandum, humorem, præſtantius noviſſet. Idque ipſum præſcripſit eo die, in hunc modum: *Decoct. amar. ſine Senn.* ℥. *Aq. Cinnamom. hordeat.* ℥. *Sal. Card. ben.* ℈. *Spir. C. C.* ℈. *m.* Miſturæ verò heſternæ & *Spir. C. C. & Laud. Op.* eo concilio adjecit, ut opinor, quod recreatum me, refectumque paululum, ex ſomno videret, id eſt, Opium ferendo aptiorem, ſudorémque eâ ratione tentare vellet, qui nullus dum ſe oſtendiſſet, ne toties quidem validis potionibus elicitus.

Decoctum amarum.

Ita

Ita in vicem modò mixturâ, modò Apozemate, quod ſupra comprehenſum eſt, uti me voluit. Illáque nocte alvum ducere; quòd nulla dejectio poſt vomitum fuiſſet. Idque clyſtere factum eſt: poſtque biduum rurſus idem præſtitum, cùm venter ſine his utique non reſponderet. Tum verò, poſt alvi ductionem, aſſumere, quæ ſudores iterum, vehementiuſque moverent: cujus generis ſunt, quæ ſequuntur: *Aq Theriacal. ſimpl. Bezoartic. a.a.* *. *Antim. diaph.* *. *Bezoard. mineral.* *. *Sal. Card. Ben.* *. *Spir. C. C.* *. *Spir. Sal. Ammon.* *. *Aq. Card. ben. q. s. f. hauſtus.* Quæ cùm feciſſem, ab his ſomni quidem ſatis, ſudoris verò nihil proceſſit.

Clyſteres.

Quartùm ſudor fruſtra tentatus.

X I.

Atque rerum iſtarum, quas poſui, conſuetudinem biduo, triduove, continuam habui. Poſt quæ id etiam Decoctum, quod cum Senna conficitur, præſtituendum putavit Oviattus. Quoniam & alvum ſuppreſſam parum reddere,

Purgatio.

dere, & ſatis jam concifis, extenua-tiſque humoribus, iſtis purgationem quoque rectè adhiberi poſſe videbat. Utique cùm febris & multum jam, diúque conticuiſſet: arteriæ quoque pulſus ad conſuetudinem redire inciperet, quam quidem poſt febrem aliquamdiu ferbuiſſe dictum eſt. Itaque quò id Apozema magis etiam proficeret, næ illi pauca quædam admiſcere, quodque eſt ejuſmodi conſcribere, voluit: ℞ *Decoct.amar.cum Senn.*℥. *Aq.Cinnam.Bezo-artic. aa.*℥. *Sal. Cochlear. Card. ben. aa.* ℈. *Antim.diaph. Tartar. Vitriolat. aa.*℈. *m.* Atque inter hæc quidem, utique in dies, mihi meliùs eſſe cœpit, maximèque vires ſub priore morbo collapſas, quamvis lentiſſimè, tamen refici, compertum eſt. Verumtamen, interpoſito quatridui ſpatio, cùm & ea imbecillitas longior eſſet, & prope incredibilis haberetur, præcipuèque ſudore ſublatam iri ſpes eſſet, utique iſtum adhuc ſemel digerere, ſi fieri poſſet, inter conſilia fuit. In quem finem vel eadem, quæ ſupra ſunt poſita, vel certè his, quæ erant quàm ſimillima,

Sudor. quintùm fruſtra tentatus.

ſimillima, noviſſimè venêrunt. Adeò tamen, otioſa hæc quoque tentamina, & ſupervacua, fuêre. Neq; plus profectum ab his eſt, quàm per ea, quæ præceſſerunt: ne madore quidem corpus ſub his omnibus perfundente. Ita ut & quàm ſtrictiſſimum illud fuiſſe, per hunc morbum, neque, quod abunde eſſet, perſpiraſſe, idque ipſum pro adverſæ valetudinis causâ extitiſſe, maximèque diuturnam moviſſe imbecillitatem, ex his, quæ dicta ſunt, unuſquiſque rectè ſuſpicari poſſit. Denique, cùm illa nihil adjuvarent, quod ſolùm ſupererat, virium refectio ab his, quæ Cardiaca ſunt, in primis petenda fuit. Ideoque mixturam rurſus habui inſequentem: *Aq. Meliſſ. Card. ben. aa.* *. *Cinnamom. Mariæ. aa.* *. *Antimon. diaph.* *. *Marg. pp.* *. *Confect. Hyacinth.* *. *Fol. aur. n.* *. *Syr. Card. ben.* *. *m.* Eáque compoſitio poſtremum locum habuit inter auxilia, quorum uſus fuit, in hoc morbo. Niſi quòd, ubi dies aliquot interceſſerunt, cùm quidem purgatione iterum opus eſſe duxiſſem, illam ab eodem medicamento

mento requiſivi, quo prius,, quodque Decoctum amarum appellavi. Atque etiam hujus auxilii uſum quatriduo continuavi, id quod ante factum eſt, eôque nullum magis præcipuum ad ſanitatem ex toto inducendam me adhibuiſſe puto.

X I I.

Receſſio ſymptomatum lentiſſimè facta.

Atque his tandem præſidiis paulatim morbus conceſſit. Firmitudo verò, & robur corpori, & qui priſtinus erat hujus habitus, non niſi tardiſſimè ſupervenêrunt. Tenuitque ea imbecillitas omnino duos menſes integros, atque plenos. Neque eô citius aut uſquam progredi, aut intra domum validè ambulare, ſuſtinui. At macies, & pallor faciei, & color non bonus, qualis ægrotantitibus eſſe ſolet, ne intra id quidem tempus ſanata ſunt; verumtamen in plures adhuc dies permanſerunt. Quinetiam famem aſſueto non leviorem, & ſtomachum denſiori cibo idoneum, utique lentè renovatum eſſe animadverti. Siquidem intra quintum,

tum, ſextúmve diem, cùm febris quieviſſet, hæc tamen, niſi poſt vigeſimum, ad conſuetudinem non redierunt. Tótque dierum ſpatio eſcâ quàm tenuiſſimâ, vel certè tenuiore, contentus, ex toto neque piſces, neque carnem attigi. Item oris ſiccitas, & faucium vitia, & vel limus, vel mucus, dentibus, & linguæ, & palato circumfuſus, diu ætatem febris exceſſiſſe viſa ſunt, neque ex facili reſtitui. Quandoquidem cereviſiâ, quæ tenuis eſſet, & pervetus, cottidie manè os ſublue-re, & poſt hæc gargarizare, multum diuque in conſuetudine habuiſſe, poſt id tempus, memini. Neque ſolùm manè, verùm etiam de nocte, id ipſum aliquoties præſtitiſſe; idque diu poſt febris receſſum; adeò hæc oris vitia gravitatem corpori faciebant. Mirúmque videri potuit, quanta vel pituitæ viſcidioris, vel muci, abundantia, per hæc faucibus exiret. Quæ cùm omnes oris partes, ſimulque etiam fauces, tanquam limo circumduceret, utique etiam commodum aliquod attulit, cùm Decoctionis amaræ

ſaporem aliquantò minus inſuavem præſtiterit. Ac febrem quidem, intra non longum temporis ſpatium, ſolutam eſſe, ſymptomata verò non item: hiſque ætatem etiam acceſſiſſe, ex iis, quæ dicta ſunt, conſtare debet. Ita ſi quis diverſam hujus, & illorum, ſolutionem, & conſtantiam, conſiderare volet; illam utique febrium acutarum ſimiliorem curioſè imitatam eſſe; hæc autem contraria ratione lentam quorundam morborum receſſionem repræſentaſſe, poſſit dicere.

XIII.

Ab his, ad alia tranſitus eſt, quæ quoque poſt febrem, morbúmve diſcuſſum, aliquandò etiam lentè incidiſſe notatum eſt. Ergo etiam febri ſubmota, ſed ea quamvis per plures dies conquieſcente, urinæ nihilominùs, niſi quàm tardiſſimè, ad concoctionem perduci, ſedimenta ponere, pleraque ſigna maturitatis in vitro oſtendere, renuerunt. Id evenit, niſi fallitur mens, poſt quintum decimum diem,

Quæ poſt morbi ſolutionem evenêre.

diem, cùm febris ipſa tamen, ultra ſextum, minimè occuparit. Multum verò eas notas ſub chryſtallo, quamque diutinè, permanſiſſe vidimus, poſtquam ſemel affulſerant. Par quoque ratio ſudoris fuit, quem quidem toties per idoneas potiones, aliaque medicamenta, elicere quàm minimè licuit. Scilicet ille humor quoque, ſub id tempus, aut etiam ante diem vicеſimũ, ſua ſponte fluxit, etiamſi aliquantò & tardiùs, & lentiùs. Verumtamen ſingulis noctibus, &, progrediente ſpatio, copioſiùs. Quo tamen exeunte, protinus meliùs habere, vireſque, & bona valetudinis, quàm celerrimè recuperare cœpi. Neque mirum: utpote cùm, pro habitu corporis mei, cùm ſaniſſimus quoque ſum, cottidie ſudorem emittere, eòque pauliſper ſuppreſſo, protinus in corpore gravitas ſentiatur, donec iterum inſudare, aſſueſcam. Ac, ſudoribus explicatis, ſigniſque circa Urinam receptis, utique eſcæ cupiditas brevi momento ſe adjunxit. Neque ita diu poſtea ciborum plenitudo inſecuta eſt. Eadem

Signa concoctionis.

Sudor.

Appetitus.

paulò etiam longiùs proceſſit. Siquidem etiam citra ſatietatem cùm primis diebus conſtitiſſet, ſcilicet uſque eò maturè increvit, ut hos quoque terminos tranſiret, pænéque voracitatem induceret. Feréque fiebat, ut vix cibus duplò plenior aſſueto in prandium, vix alterum tantum, pro cœna, ſatis eſſet, per eos dies. Adeò tamen, cùm cibum, quantus pleniſſimus poteſt ingeri, cepiſſem, hunc omnimodò rite concoquebam. Eademque intemperantia cùm aliquamdiu viguiſſet, tandém intra menſem vel unum, vel alterum, per ſe coërcita eſt. Idque etiam aliàs, & mihi, & aliis, accidiſſe memini, ut voracitas eſſet, in quibus ante graviſſimus morbus fuiſſet. Neque verò, quod maximè mirum videri poſſit, aut macies, aut pallor, de quibus dixi, priùs eſſe deſierunt, quàm vorandi libido intra ordinem rediiſſet. Hactenus verò pleriſque ægrotantibus communia ſigna recenſui: nunc ea referam, quæ paulò aliter ſe habent. Iiſdem ergo temporibus, quibus quidem febris receſſit,

ceſſit, vel certè paucis poſt diebus, etiam novum ſignum, in manibus, & mihi quidem ante inexpertum, notavi. Id erat tanquam levis nervorum reſolutio, qui in digitis ſunt. Atque, ſub eo ſenſu, neque commodè contrahere, neque item ex facili protendere digitorum phalangas, licebat. Graviorque inſedit is affectus ſiniſtræ, quàm dextræ, manui: graviùs extremos duos articulos torſit, quàm primum. Vimque prehendendi quidlibet perdidiſſe videbar; cùm id abſque dolore aliquo, & levi quadam noxa, præſtare quàm minimè poſſem. Etiam, cùm nihil manibus moverem, quietèque agerem, ceu ſtuporem eò loci toto tempore me perſentiſcere, putabam. Atque etiam id mali ſpatium aliquod habuiſſe viſum eſt, ut puta menſem, aut eo amplius; donec tandem ſine medicina quievit. Eam verò ideo adhibere nolui, & quòd non vehementer afficeret, & quòd Scorbuto, ſicut alios hujus generis affectus, mecum animo imputarem. Ac ingluviem, de qua ſupra dixi, & potiones maximas, vel Tumor pedum.

 potius

potius extremitatem morbi, protinus aliud malum excepit, pedibus, poſt magnas ægritudines, tam familiare, quàm quod maximè. Scilicet hi noctu intumeſcere, & œdematoſi eſſe, cœperunt: interdiu tumore in totum ſubſidente, nulloque ſui ſigno relicto. Multòque minùs pes dexter, quàm ſiniſter, laboravit, minorque tumor initio, quàm poſtea, eſſe conſuevit. Ideoque omnimodo contemnendum malum eſſe duxi. Neque huic rei remedium aliud magis utile eſſe, quàm cibo, potionique pleniori aliquid, utique de nocte, demere. Et id quidem ſatis promptè reſpondiſſet, uti veriſimile eſt, niſi quædam offenſa fuiſſet, quæ malum exaſperavit. Nam cùm mihi permulta ſcribendi neceſſitas incidiſſet, neque ad eam rem tantum otii contingeret, quantum opus eſſe deberet, neque dum ex morbo abundè confirmatus eſſem, equidem multis diebus ad multam noctem invigilavi. Quò diutiùs id factum eſt, tantò magis intumuit ſiniſter pes. Denique cùm totâ nocte lucubraſſem, die poſtero poſt meridiem,

Phlegmone œdematodes in ſiniſtro pede.

em, tum multam admodùm in pede gravitatem, majorémque in molem ſe extuliſſe tumorem, ſenſi. Quibus quidem acceſſit exiguo momento dolor, & cùm inſpexiſſem, rubor, &, non ita multò poſt, ardor, & cætera, quæ Phlegmonem facile indicant, ſigna. Locus erat ad malleolum internum: inflammationémque œdematoſam dici debere ex his quoque conſtitit, quòd pars rubicundæ adjacens albeſceret, & totus tumor digitis ſubſidens alta quoque prementium veſtigia ſuſciperet. Quid deinceps? Cùm Franciſcum Rolfium, ſummum Chirurgum, cujus ſupra quoque mentionem feci, in conſilium adhibuiſſem, iſque ex oleo Sambuci, cum Lixivio pari portione admiſto, bis die malleolum inunxiſſet, maturè inflammatio ſubſedit. Eodemque auxilio per plures dies prolongato, latâque faſciâ pede inſuper obvoluto, ex toto ad ſanitatem pes ille paulatim rediit.

XIV.

Ac perpauca ſunt corpora, in quibus adverſa valetudo non aliquid novat. Ergo etiam ex eâ ægritudine, de quâ retuli, præter incommoda omnium graviſſima, & maxima, quibus exercitus fui, quædam quoque me, uti fieri ſolet, accepiſſe beneficia non inficior. Ex his uno, alterove, contentus ero. Nam cùm ſpiritum iis menſibus, qui morbum anteceſſerunt, utique non expeditiſſimè, ex intervallo, & traherem, & emitterem, quemadmodum ſupra quoque poſuiſſe memini, certè ea tarditas, quantacumque fuit, ſub febre ſublata eſt. Simul atque enim eâ exſolutus ſum, protinus & reſpirationem mihi redditam eſſe, neque jam more ægrorum corporum difficilem ſpiritum me ducere, deprehendi. Ad hæc, & abdominis plenitudo, & hujus ipſius diſtentio, & flatuum abundantia, à quibus illa quidem fieri veriſimile eſt, ſimiliter imminuta ſunt: neque ex eo

Beneficia per hunc morbum ſuſcepta.

tempore

tempore æquè magna, aut moleſta, fuerunt. Idemque modus fuit dolorum, qui in abdomine ſentiuntur, quibus utique pænè vacuus ad hoc tempus potiſſimum vixi, cùm & facilè reverterentur, ante morbi incurſionem, & vehementiùs afficerent. Neque gravitatem verò eam, quæ ad genu pertinebat, de qua ſupra tradidi, quamque modò Arthritidem eſſe veram negavi, tanquam Scorbuticam nominari poſſe putavi, amplius in hodiernam lucem perpeſſus ſum. Et tamen ſextus menſis nunc agitur, cùm eam, ne per ſomnum quidem, ſenſi. Verumtamen fieri omnino potuit, ut locum commutarit ille dolor. Siquidem, id mali quicquid erat, cùm genu infeſtare diſtulerit, ecce nunc interdum conſimilem affectum inferiùs, eodem pede, circa talum, experior. Gravitas ſubit in pede, & dolor perquàm exiguus, & tanquam ſtuporis ſenſus, & modica imbecillitas, & cætera, quæ dixi in genu ſubeſſe. Sic tamen, ut hæc omnia cùm ſint, neque naturalem actionem, neque

que ambulationem, quamvis levem, abſtulerint. Inter hæc verò, nihil illuſtrius vidi, quàm quod, in auribus eveniſſe, dicam. Nam cùm, dimidio anno tantùm proximo, concretis, cumulatiſve ſordibus, quæ intra aures ſunt, laborarem, eaque res auditum eriperet, utique ejus ſensûs & ſingulari, & difficili gravitate, premebar. Eademqne ægritudo non ſolùm ante quadriennium me tenuit, verum etiam diu, multumque moleſta fuit, donec aures quidem auriculario clyſtere perpurgavi. Eòdemque res nunc rediit, adeò ut aſſidentium quàm minimè voces accipere, niſi claro ſermone prolatas, multòque minùs has intelligere, poſſem. Dehinc, & opus mihi eſſet, rurſus idem auxilium per clyſterem repetere. Idque cottidie facere cogitabam, cùm improvisò me febris arripuit. Illâ verò eâ ratione, quæ mihi dicta eſt, diſcussâ, morbíque vigore ſoluto, ſimul ego audiendi gravitate ſolutus ſum. Sive calore febris digeſta, liquataque fuerint, ſive tali incendio abſumpta, cerumina, quæ, cauſam

cauſam huic malo attuliſſe, ſcimus.

X V.

Quibus ita propoſitis de febri, atque hujus curatione, ſed & his, quæ febrem vel proximè præceſſiſſe, vel protinus inſequta eſſe, conſtat, nunc ad ea tranſeundum eſt, ut oſtendamus, quibus rationibus, quæ modò dicta ſunt, cum his, quæ ſuperiore volumine ſunt poſita, opportunè convenire, quæve ex his maximè notatione digna eſſe, videantur. Neque verò ob id committam, ut ſingula ſingulis comparem; cùm quidem hoc majoris ſit & induſtriæ, & laboris; verumtamen ex his omnibus, quæ longè clariſſima ſunt, tantummodò indicabo. Itaque, cùm febrem quidem hanc Epidemicam, ad originem Scorbuticam relatam eſſe à nonnullis, aliquoties docuerim, idque ex optimo, præſtantiſſimóque auctore Schachtio, diſci poteſt, quis jam non videat, per ea, quæ in meomet graviſſimo caſu expertus

Quæ potiſſimùm notanda in hac appendice.

Scorbutica origo hujus mali.

tus ipſe ſum, illam opinionem non mediocriter & teſtatam, & confirmatam, reddi? Siquidem meum morbum & Scorbutus manifeſtè anteceſſit, & hunc ipſum quædam illius peſtilentiæ ſigna excepiſſe ex iis, quæ mihi dicta ſunt, quiſque colligere poteſt. Quocirca de hoc morbo, hujuſque etiam cauſis, quid aliqui non mediocres viri ſequuturi ſint, ignoro, quæ mihi proxima vero eſſe videantur, ſcio. Alterum eſt, quod quidem maximè conſiderari vellem, de malignitate. Etenim eo tempore, quo, quæ priore volumine ſunt, reddidi, neque Hercule malignâ vi valere hunc morbum mihi quidem perſuadere potui, neque nunc etiam, cùm eodem laborarim, ut id ipſum credam, in animum meum poſſum inducere. Graviſſimum tamen eſſe non diffiteor: inſuper etiam longè periculoſiſſimum in me extitiſſe, ultro agnoſcere mens eſt. Adeò tamen, eum ipſum malignitatis lineam attigiſſe, ne quidem periculo meo admonitus, credere ſuſtineo. Multáque ſunt, quæ de hac re hîc diſputare poſſem, eademque

Malignitatis abſentia.

demque fortaſſe per magnæ contentionis volumina tractare. Attamen inprimis cùm utile ſit medico, ſine ambitione verum ſcrutari, de his, quid alii ſtatuere velint, malo condiſcere, quàm temerè aliquid legentibus inculcaſſe. Commoneo tamen, inter ea, quæ quidem abſentiam malignitatis abunde teſtari poſſint, eſſe etiam id experimentum, quod cucurbitulis factum eſſe propoſui. Cui notitiæ generi permultum antiquos viros, multum admodum recentiores quoque medicos tribuere, nemo eſt, qui neſciat, dummodò exteras regiones viderit. Ut his ſolis inſiſtere, et ſi quiſquam malignitatem in aliis hominibus vellet inducere, id ipſum concedere, vel omittere potius, in meo caſu nihilominus etiam atque etiam, negare poſſim. Proximum, ad quod, qui leget hæc, animum advertere velim, de curatione eſt. Quam quidem ego promptiſſimam huic morbo præſtitam eſſe contendo. Etenim, ſi quis unquam, in præcipiti caſu, fœlicis curationis ordo fuit, utique me talem Curatio prompta.

Oviatti,

Oviatti, præſtantiſſimi viri, ope, & auxilio, conſequtum eſſe puto. Cùm quidem ille, die tertio ad me vocatus acceſſerit, ego ipſe, die quinto, vel ad ſummum ſexto, febre omnium periculoſiſſimâ expeditus fuerim. Periculoſiſſimam verò vocavi, quòd tanta ejus erga me ſævitia ſe oſtenderit, ut ad diem, quam dixi, liberatus, ne ſexaginta quidem poſt diebus ingredi, ut ante, potuerim. Idque, propter eam imbecillitatem, quam intulit, ſummam; neutiquàm ob ea, quæ quoque ſupervenîſſe, dixi. Atque hæc eadem & præcipua, atque etiam quàm maximè tuta, medicandi via eſt, quam Schachtium, ſummum ſæculi noſtri medicum, ut in hoc, ſic etiam in aliis morbis, & tenuiſſe, & tenere, ſcimus. Huic ille inſiſtens ſuperiore, & qui hunc anteceſſit, anno, utique infinitam populi multitudieem ab hac valetudine Epidemicâ tutiſſimam præſtitit. Semper autem hujus viri veſtigia, in ſuperioribus propoſita, quiſquis ſequi volet, næ is ab ejuſmodi mali curatione quàm minimè deflexiſſe videbitur. Ultimum

mum, quod ſubjungam, quodque notari jubeo, ſic ſe habet. Etenim, cùm quidam nobiliſſimi medici, me audiente, dixerint, morbi quidem hujus Epidemici medicinam, & curationem, nondum eſſe repertam, quòd maligniſſimum eſſet ægritudinis genus, ſic enim appellare conſuerunt; horum utrumque manifeſtè falſum eſſe conſtat. Nam, ne malignam quidem eſſe, aliquoties oſtendimus. Et huic quæſitam eſſe medicinam, & repertam, ex meo quidem morbo, & aliorum curatione innumerabilium, conſtare debet. Neque opus eſſe peregrinis, & conquiſitis, medicamentis, cùm noſtra, quæ in conſuetudinem ſunt adducta, ſatis promptè medicinam huic malo ſuppeditent. Neque quicquam eſſe ſtultius, quàm novam curandi rationem in eo malo requirere, cui vetus egregiè opitulata ſit. Remedia conſueta huic malo ſufficere.

FINIS.

INDEX.

A.

Pag.

ÆTas morbi hujus. 4

Annus quo exortus eſt. 6, 147

Ann. 677, fuit funeſtus in Hollandia. 5

Angli Medici quatenus æſtimentur in Hol. 56

Ars quantum poſſit in medicina. 81

Antefebrilia ſummi uſus in hoc morbo. 82

Antefebrile Drelincurtianum. 83

Antimon. diaphor. laus. ibid.

Apozematum formula in feb. Epidem. 90, 128

Pag.
—— *in quartan. Epidem.* 101
Aphthæ frequentes in hoc malo. 12, 130
—— *Quomodo curatæ.* 98, 131
Aphthis malis laborantes periclitabantur. 130, 12
Antefebrilia in quartanâ. 106
Acida virtutem ſudoriferorum intendunt. 77
Ann. 66, 67, 68, 69, *hunc morb. antea oſtenderunt.* 117
Anginæ acutæ feb. Epidem. conſecutæ. 133
Anxietas circa præcordia frequens in feb. Epid. 13, 16, 124
Anglus nullus obiit Leydæ ex feb. Epid. 133
Arnoldus Syen Botannices Profeſſor Leydæ. 46
—— *Ejus mors.* Ibid.
Appetitus in feb. Epid. qualis. 126, 15
Artuum dolores in hoc morbo. 14
Alvus qualiter conſtituta in feb. Epid. 126, 14
Album Græcum in quartan. 113

B.

Pag.
Bezoard. mineral. laus, & uſus. 83
———*Solare, Lun. Joviale.* 84
Boli frequenter uſitati in feb. Epid. 92

C.

Criſes in hoc morbo quales. 25
Curatio morbi hujus. 51 & *ſeq.*
———*facilis erat initio.* 121
Clyſteres probantur in feb. Epid. 70
———*odio habentur in Holl.* ibid.
Comatoſi ferè omnes peribant in feb. Epid. 77, 125
Conditorum formulæ in quartan. 102
China China factitia. 110
—*Veræ uſus Schachtio probatus.* ibid.
Cortex quercinus in quartan. 113
———*Fraxin. in ead.* ibid.
Celſi monitum de quartan. 114
Conſequens hujus morbi. 133
Cucurbitulæ in feb. Epid. adhibitæ 169

Pag.

——illarum uſus in morbis malignis. ibid.

Corpulentiores magis periclitabantur in feb. Epid. 133

Cardiaca proderant in feb. Epid. 129,73

Continuæ febres in morb. Ep. 123,11,12

Convulſio, & Spaſmus in eod. 51,135.

D.

Declinatio morbi hujus qualis. 13,131

Definiri an poſſit. 20

Diaphoretica in hoc morbo maximi uſûs. 71.

Doctor Opiatus nomen Sylvii. 77

Drelincurtius auctor libri qui Iano Leoniceno tribuitur. 54

Diaſcord. Sylvii quatenus differt à vulgari. 94

——*illius uſus minus frequens in feb. Epid.* 93

Dyſenteria in feb. Epid. 135,51

E.

E.

Pag.
Emulſionum uſus in hoc morb. 87
——— *De iis cautio Schachtii.* ibid.
Emulſionum formulæ 89
Emulſio Schachtio familiaris. ibid.
Electuariorum formulæ in quartan. 102

F.

Febrium aliarum natura poſt hunc morb. 45
Fœminarum menſtruatio ante tempus in feb. Epid. 135
Fructus horarii copioſi præceſſerunt feb. Epid. 122

G.

Genius morbi hujus. 18
Gequierus diſcipulus Schachtii. 58
——— *Practicus celebris Leydæ.* 60

Pag.
Gentian. rad. in quartan. 110.
Gingivarum dolor, & cruentatio in feb. Epid. 135, 51

H.

Hæmorrhagiæ in feb. Epidem. 15, 135
Hæmorrhoides item. 50, 135

I.

Initium morbi hujus quale. 121
Incrementum ejuſdem quale. 11, 122
Inſignia Delphenſia peſſimum ſignum in morbis. 25
——— *Quid portenderent in hoc morbo.* ibid.
Janus Leonicenus non eſt author libri ſub eo nomine. 54
Juleba in feb. Epidemic. uſitata. 86
Inconſtantia, & mutabilitas feb. Epidem. 18, 121, 122

L.

L.

Pag.
Linguæ ſigna in hoc morbo. 25
Lumbricos multi excrevêre in feb. Epid. 15
Languor diuturnus poſt Feb. Fpid. 16, 127

M.

Multitudo ægrotantium major in Holl. 4
Malignus an fuerit hic morbus. 28
Malignitas quid ſit. 29
——*Quibus de cauſis quidam eam negent.* 30
——*Objectionum ſolutio.* 33.& *ſeq.*
——*Alia Argumenta, & Solutio.* 46,48.
Malignitatis fama unde orta. 41
Morbi hoc malum conſecuti. 42,133
Medicina Sylvii in uſu in Holl. 52

Pag.

Margravius Medicus, & Chymicus Leydæ. 64
Mixturæ in hoc morbo uſitatæ. 72, 128
——*illarum virtus, & laus.* 74
——*earumdem author.* 75
——*quænam frequentiora in illis eſſent.* 75
Morbi hujus circumvolutio. 99
Maculæ Scorbuticis ſimiles in hoc morbo. 50, 135.
——*Petechiales rariſſimæ.* ibid.
Macri minùs periclitabantur ex feb. Epid. 133
Mictio cruenta in morbo Epid. 50, 135

N.

Nomen hujus morbi in Holl. 2
Nomina varia, quibus Anglicè appellatur. ibid.
Narcotica cautè adhibita in feb. Epid. 76, 125
Nomina Medicorum, qui Schachtii narrationem probarunt. 137
Numerus defunctorum ſupra ſolitum. 132, 40, 32
——*non*

Pag.
——non indicat malignitatem. 40

O.

Origo hujuſce morbi ſcorbutica. 8,9
——quænam hanc opinionem confirmarent. 76
Opiatorum uſus ex Wedelio. 77
Opio Sylvius frequenter utebatur. ib.
Odontalgia in feb. Epid. 50,135

P.

Prædictiones Schachtii variæ de hoc morbo. 8. 120
——quibus ſignis innixæ. 119,7
Principium morbi hujus quale. 11,121
Purgantia adhibentur in hoc morbo. 69
Pil. de Cynogloſſ. in uſum induxit Sylv. 78
—— de Styrace ſimiliter. ibid.
Pulveres anteſebriles. 82
Potionum formulæ in hoc morbo. 94
Pulv. Cornachini in quartan. 109
Pulv. Chirurgi Regis Poloniæ in quartan. 108

Peripneumoniæ

Pag.
Peripneumoniæ feb. Epid. conſecutæ. 133
Pleuritides item. 134.
Paucitas morientium ex hoc morbo. 134
Potus augebat anxietatem in feb Epidem. 17,126
Petechiales rariſſimæ in feb. Epid. 135,50
Parotides ſpuriæ poſt feb. Epid. 136,51
Prunella item. 51,135
Peſtis tempore aliæ etiam febres vigent. 47
Pulſus qualis in hoc morbo. 126
Pathognomonica ſigna nulla in hoc morbo. 21

Q.

Qui homines præcipuè correp. 26,129,137
Quæ urbes. 28,129,137
Quæ alia loca. 28,129
Quartanarum hujus anni natur. 43
——*duplex, vel triplex genus,* 13,171
——*de iis prædictio Schachtii.* 44
——*illarum curatio.* 99,100

R.

R.

Pag.
Ruri plures, quàm in urbibus obierunt. 28,132
Reſpiratio difficillima in hoc morbo fuit. 17,127

S.

Status morbi hujus qualis. 12,130
Symptomata ejus præcipua. 13,124
——*ejuſdem plura.* 15,124
——*Maxime communia.* 22
——*quibuſdam peculiaria.* 50,134
Sylvii theoria. 53
——*praxis potior habita.* 54
——*encomium Scachtio uſitatum.* 56
——*ſcripſit de hoc morbo.* 116
Schachtius diſcipulus Sylvii. 58
Symptomatum curatio. 97
Sal febrifugum Sylvii. 109
Sydenhamii Encomium Schachtio uſitatum. 112

Senes

Pag.
Scnes penè omnes peribant ex hoc morbo. 132
Sputatio multa multis accidit in feb. Epid. 15
Scorbutus frequens in febr. Epidemic. 16, 119, 120.
——*ejus deſcriptio hodie familiaris.* 10
Sanguis qnaliter conſtitutus ante hunc morbum. 119
Symptomata in morbis inſolita præceſſere feb. Ep. 119

T.

Tinctura Sancti Juriani magni usûs in Holl. 103
——*ejus formula.* ibid.
Tuſſes hunc morbum conſequtæ ſunt. 133
Tertianæ frequentiſſimæ in morb. Epidem. 11, 121

V.

Urinæ quales in hoc morbo. 24. 127
Vomitoria minimè in uſu in Holl. 61
——*pro-*

Pag.
——probantur in hoc morbo. 62
——adhibita à Schachtio, & aliis. 63, 64
——vix unquam uſurpata à Sylvio. 66
Venæ Sectio profuit in hoc morbo. 68, 127, 128
Vina medicata præfert Sch. in quartan. 104
——eorum formulæ. ibid.
Varietas in hoc morbo etiam in Holl. 137
Vertigo frequens in feb. Epid. 15
Vomitus frequens ſymptoma in feb. Epid. 13, 124
Vires ſummè proſtratæ in hoc morbo. 123, 17
Venti Orientales diu ſpirantes in feb. Ep. 122
——Boreales diu præceſſerunt. 119
Vigiliæ in hoc morbo magnæ. 135, 14

W.

Wedelii monitum de ſpir. Vitriol. & Nitr. 50
——effatum

Pag.
——— *effatum de Emeticis.* 62
——— *de Opiatis, & acidis.* 77
Williſius quatenus aſtimatus in Holl. 56

FINIS.